(3

ΦΙΛΟΜΑΘΙΑΣ
ΤΑ. ΣΠΟΡΑΔΗΝ. Γ.

MISCELLANEAE
DOCTRINAE

LIBER TERTIUS.

Οὐ παύσομαι τὰς χάριτας
Μούσαις συγκαταμιγνὺς,
Ἡδίσταν συζυγίαν.

EVRIPIDES.

AMSTELODAMI,
APVD PETRVM DEN HENGST.
MDCCCXVII.

L. S.

Septem anni ſunt, quod hic liber ſcribi ac typis deſcribi coeptus est. Quod ſpatium quum publice et privatim in incredibilem temporum nostrorum varietatem incideret; ad hanc argumentorum delectus et explicatio accommodari debuit: quamquam utrumque etiam, veteri nostro inſtituto, conſtanter ad virtutis doctrinaeque fructum retulimus. Sed in tanto ſpatio ac temporum varietate facile fieri poterat, ut quaedam argumenta inter ſcribendum ac deſcribendum necesſariam cauſſam habentia,

jus-

justumque sibi hoc in hoc libro locum postulantia, insequentibus annis supervacanea viderentur. Atque hujusmodi negotium aliquis amicus noster putavit esse duarum censurarum II et III admonendis nostris sycophantis scriptarum; quippe dudum illis contemtu et judicio doctorum virorum sepultis. Hae vero censurae nec scriptae essent, et vel jam descriptae ab hujus libri editione exclusae, si Epistolae Sodalium et Creuzeri ad debitam ipsorum doctrinae et elegantiae notitiam venissent. Et nos nostris sycophantis tantum abest ut invideamus, ut iis etiam summum bonum, νοῦν καὶ Φρένας, optemus.

ANECDOTUM

ANECDOTVM

HIERONYMI.

ΙΕΡΩΝΥΜΟΥ. (*)

Δεῦρο δὴ, καὶ σκεψώμεθα περὶ τῆς τῶν παίδων ἀγωγῆς, τίνα τρόπον διειλήφασιν οἱ πατέρες· οὐ γὰρ μόνον ἐν τοῖς πρότερον, ἀλλὰ καὶ ἐν τούτοις εὑρήσομεν αὐτοὺς οὐ μικρὰ διαφωνοῦντας· οἵτινες πρῶτον μὲν βαρβάροις παραβάλλοντες παιδαγωγοῖς, καὶ τούτων ἀκούειν κελεύσαντες, ἱκανῶς ἐπιμελεῖσθαι νομίζουσιν, ὥσπερ τοῦ κατὰ πόδας ἀκολουθήσαντος (a), ἀλλ' οὐ τοῦ καλῶς ἡγησαμένου (b) δεομένων τῶν παίδων, καὶ τοῦ φυλάττοντος. καθάπερ συβώτου εἰ (c) πλανηθῇ, ἀλλ'

(*) scil. Rhodii.

(a) Leg. ἀκολουθήσοντος.

(b) Leg. ἡγησομένου.

(c) f. μή.

ἀλλ' οὐχὶ (d)· διὸ καὶ τὸν ἐκ τῶν ἔργων ἀποδοκιμασθέντα τοῦτον ἐπὶ παιδαγωγίᾳ κατατάττουσι, τὰ φύσει τιμιώτερα τοῖς εὐτελεστέροις διδόντες. ὅθεν καὶ Περικλῆς, οἰκέτου ποτὲ πεσόντος ἀπὸ ἐλαίας καὶ τὸ σκέλος συντρίψαντος, „ νέε ὅρα" ἔφη, παιδαγωγὸς πέφηνεν· (e)" οὐκ ἀπιθάνως τῆς ὑπουργίας τὴν ἀτιμίαν σκώψας.

(d) Deest quid.

(e) f. πέφηνας.

D. W.

M E M O R I A

GVLIELMI LODOVICI VAN WASSENAER

SODALIS STVDIORVM NOSTRORVM

EGREGII

EXSTINCTI D. XXVIII IVLII, A. MDCCCXI.

AETATIS, XXI.

D I C T A

D. XXIV SEPTEMBRIS A. MDCCCXI

INSTAVRANDIS SCHOLIS

ET DISCIPVLIS AD ILLIVS EXEMPLVM

SEQVENDVM COHORTANDIS.

Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque Daphnis.

AUDITORES OMNIVM ORDINVM HVMANISSIMI!

Quum in hac annua ſcholarum inſtauratione idem nunc mihi, quod antea, exordium uſurpandum ſit, ut Deo O. M. gratias agam, qui nobis ſalvis ac bene valentibus reditum ad haec ſtudia dederit, facio id quidem et pie et religioſe, Deoque immortali pro tanto beneficio juſtas debitasque et ago gratias et habere me profiteor. Neque tamen dubito, quin haec ipſa beneficii commemoratio, ut me, ita unumquemque veſtrum tacite ad recentem dolorem revocet, admoneatque illud non integrum ſincerumque conſtitisſe beneficium, nec ad omnes pertinuisſe auditores, ſed unum in primis fuisſe, qui non modo hoc reditionis, ſed etiam vitae, fructu excideret. Intelligitis A. O. quem dicam! Omnium veſtrum animi, vultus, oculi denique ipſi quaerunt ac deſiderant optimum noſtrum Wasſenaerium, repentino ac vehementi impetu morbi nuper nobis ereptum. Adeo verum eſt et in praeſentem caſum noſtrum ac dolorem conveniens Ciceronis dictum (De Orat. III, 2.), „ O fallacem hominum ſpem, fra-

„ gilemque fortunam, et inanes nostras con-
„ tentiones! quae in medio spatio saepe fran-
„ guntur et corruunt, aut ante in ipso cursu
„ obruuntur, quam portum conspicere potue-
„ runt". Nam luctuosissimus iste Wassenaerii obitus, quam multorum spem hominum fefellit? quam multorum animis acerbus accidit? Etiam nunc praesentem nobis videre videmur illum adolescentiae florem ac vigorem, illum sanitatis colorem et habitum, casti temperatique victus consuetudine firmatum: etiam nunc oculis mentibusque nostris obversatur illa morum amabilis comitas et modestia, illa industria omnia egregii studiosi officia strenue obeuntis, in scholis audiendo, respondendo, disputando: domi, secum et cum aliis meditando, commentando, legendo, scribendo: cujus studii fructus jam apparebant privatim in praeclaris progressibus, quos fecerat in Literis Graecis, Latinis, et plerisque doctrinarum generibus, magno cum incremento acuminis, rationis et orationis: et in publicum exitura mox erant harum facultatum specimina, duo libelli, quos scribere instituebat; ut nemo quisquam dubitaret, quin, qui adolescens tantopere excelleret, is aliquando vir ad summos honores perventurus, atque insigne Literarum et Literatorum hominum, atque adeo totius patriae decus ac praesidium futurus esset. Verum enim hanc

tam

tam laetam omnem omnium ſpem nec opinata mors intercepit: et quem modo animo, corpore, vita et exſpectatione florentem ac vigentem videramus, hunc, quaſi afflatu mali daemonis, noſtrae felicitati invidentis, ardens febris invaſit et intra paucos dies abſtulit.

Jam quid prius conqueramur A. O.? matremne aerumnoſam, quam ſumma pietate colebat, in familia tuenda negotiisque procurandis juvabat, cujus aetas ac viduitas in hoc gratiſſimo filii officio acquieſcebat? An fratres et ſorores, quorum commodis quaſi tutor et alter pater proſpiciebat? Noſtramne ſcholam, cujus egregium ſodalem, ego diſcipulum, Vos condiſcipulum, utrique benevolentisſimum amicum, amiſimus? An Academiam noſtram, in qua ille cum paucis unus fuit è principibus juventutis, quorum exemplum quaſi lumen caeteris ſtudioſis adoleſcentibus ad intuendum imitandumque exſtaret atque luceret? An denique ipſam patriam, quae, tamquam communis mater, graviſſime condolet mortibus filiorum adoleſcentum eorum, qui ad ſe ornandam illuſtrandamque ingenia ſua optimis artibus excolunt.

Sed quum haec jactura ad tam multos pertineat, ad unum non pertinet ipſum Waſſenaerium: qui non modo mali nil pasſus, ſed ingenti etiam bono potitus, eſt. Ipſum dicimus non corpus humi conditum, ſed ani-

mum, qui ex hac misera et mortali vita in beatam et immortalem transiit: corporis vinculis solutus ad superos evolavit, cum iisque propiore jam summi Dei numine fruitur, veritatem scientiamque, cujus in hac terrâ insatiabili amore et quasi siti flagrabat, ex puro limpidoque fonte largiter et abunde haurit. Quare ipsum quidem Wassenaerium ne miseremur, immo felicem praedicemus, ejusque memoriam grati ac lubentes celebremus. In quam quando semel ingressus sum, finite me diutius ei immorari: et quod instaurativa schola quotannis antea solebam Vobis de Literarum studio universe quaedam *praecepta* et monita tradere, his nunc *exemplum* subjungemus, idque in Wassenaerio nostro spectabimus.

Natus est d. I. Martii, a. MDCCLXXXXI, gente una in Batavis gentibus nobilissima: de cujus antiquitate et amplitudine dicere non attinet; et quia omnibus nota est: et quia minime Wassenaerius noster ea gloriabatur, et, quasi ipse eam ignoraret, sic inter nos communiter vivebat, ut unus ex multis, et animo firmiter infixum tenebat illud veterum effatum, *sola virtus nobilitat.* Octavum agens annum patre orbatus, cum duobus fratribus minoribus, tribusque sororibus matri relictus est, eximiae illi non solum nobilitate, quippe Ysselmudeniae, sed et ingenii animique dotibus, et libero-

rorum suorum educandorum erudiendorumque prudenti ac diligenti moderatrici: quae hunc maximum natu filium probatis praeceptoribus, procul à domo, in disciplinam convictumque tradidit. Ergo usque ad XVI aetatis annum apud duos deinceps praeceptores fuit, primum Creveldae, postea Naardae. Hic in domo et institutione doctissimi *Anosi*, viri erudiendis adolescentibus ingenuis perquam idonei, Sacerdotis Gallicani Reformati, auditoris quondam nostri et diligentis et jucundi, non solum prioris orsa scholae ulterius excoluit, in historia, geographia, mathematicis, musica, pictura, palaestra; sed Latinam quoque Graecamque linguam ad eum finem didicit, ut aptus haberetur scholis Professorum in Academia audiendis. Graecam quidem adhuc sibi intactam tunc primo inchoavit, et cognitis declinandi conjugandique elementis, locos Gedikiani libri interpretatus, ultro ad Literarum fontem, Homerum, perrexit, scilicet miro ejus legendi amore flagrans, et egregia quaeque expetens, ad hujus lectionem horas subsecivas contulit, objectas quamvis multas intelligentiae difficultates constantiâ studii perfregit, intra duos menses librum Iliadis primum et partem secundi sic pertractavit, ut et rerum nexum et verborum rationem grammaticam memoriter reddere posset. Domum redux complures menses antequam an-

nuum in hac Academia fcholarum initium fieret, totum illud tempus in addiscenda utraque lingua contrivit: Latinâ, per fe folus: Graecâ, adjutoribus Viris Reverendis, primum Schouwenburgio, deinde Borgero. Ad hunc quominus bis per hebdomadem discendi causfâ Cattovico Leidam excurreret, nec viae fpatium, nec aëris intemperies eum abfterruit. Mox nostras in fcholas venit, et per hoc postremum vitae fuae triennium conftanter ventitavit. Quod qua ratione, quo fructu fecerit, nunc animadvertamus, ita ut prius univerfe de ftudendi officio moneamus; quandoquidem haec animadverfio et admonitio utilis erit cum noviтiis ad ingrediendam ftudiorum viam, tum veteranis jam ingresfis eam ad fuaviter recordandam ftrenueque perfequendam.

Totum illud quod nos *ftudere* dicimus, idem est ac Literis doctrinisque discendis certâ viâ et ratione operam dare; idque plures variasque habet partes et formas. Atque, ut in omni actione humana duo cernuntur, agens et res agenda, fic in discendo, discens et res discenda. In discente, tria debent adesfe, natura, inftitutio, exercitatio. Res autem discenda, ut de noftro faltem ftudio dicamus, funt Literae Graecae et Latinae: in quibus quum fit multiplex partium varietas, haec ad quatuor genera et quafi penfa revocatur. Primum conftat

ſtat ipſarum accurata cognitione Linguarum, comparanda grammaticis praeceptis, et ſcriptoribus antiquis diligenter interpretandis: alterum, Historiâ populorum et rerum geſtarum: tertium, recenſione veterum auctorum et monumentorum: quartum, Antiquitatibus. Quae quatuor quum noſtris in ſcholis tradantur, has diſcens audiet et aſſidue et attente, et quotidie domi repetet: dico *quotidie*, quia niſi repetitio eodem fit die, multa quae docens utilia ad proficiendum diſſeruit, nec tamen dictavit, recenti recordatione in mentem redeunt, et quaſi è fuga retrahuntur; dilatâ autem repetitione, ex memoria effluunt, et, irrevocabilia evaneſcunt. Nec ſatis eſt cujusque diei ſcholam ſemel et eodem die repetiiſſe: ſcholae quavis hebdomade habitae, iterandae ſub finem hebdomadis: ſcholae cujusque menſis, iterandae exeunte menſe: ſcholae trimeſtris ſpatii, ſub hujus exitum recolendae: ſcholae denique totius annui penſi feriis aeſtivis relegendae meditandaeque ſunt. Adeo haec repetitionis exercitatio, ut in omnibus rebus multum, ſic in ſtudiis plurimum valet: et paulatim in conſuetudinem, ex conſuetudine autem in naturam et firmam rei diſcendae poſſeſſionem abit. Habet illa quidem aliquid exceptionis et varietatis pro varietate diſcentis et materiae: ſi qui tamen eam deſpexerunt ut tardarum ſubſidium natu-

A 5 ra-

rarum, cujusmodi contemtores haud paucos vidi, isti cum ſua ſibi velocitate indocti manſerunt, et, ut Plutarchi dicto utar,

Vanitatis et arrogantiae poenas dederunt, dum
Evolitaverunt tenues ceu fumus in auras.

Jam vero hac ſcholarum repetitione, discens non totum ſtudiorum opus confecit, ſed ejus necesſaria fundamenta jecit. Reſtat enim domeſtica lectio bonorum librorum, veterum in primis auctorum: quae in ſcholis tota explicari nequit; quippe in quibus Homeri, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, Horatii, Virgilii, aliorum, unum alterumque librum accurate interpretamur; ut auditor ad eamdem rationem totos ſcriptores illos legat. Qua in lectione rurſus adhibenda est iterata illa repetitio, intelligentiam priorum confirmans, ſequentium aperiens, utrorumque jucundiorem reddens: inveniendi facultatem acuens et ad progrediendum excitans. Discendi enim ea est natura, ut ſe finibus praeſcribendis coërceri non ſinat. Veluti ſi quis conſtituerit alicujus disciplinae cognitionem ad certum terminum gradumque conſequi, ſi hunc gradum attigerit, mox infra eum labetur, et acquiſitam cognitionem amittet, niſi eam continuâ cogitatione recolat ac repetat: contra, ſi eam recolat ac repetat, ſupra propoſitum gradum adſcendet, multarum par-

partium notiones, quas adhuc implicitas confuſasque habuit, evolvet, explicabit, illuſtrabit, itaque cognitionem ſuam amplificabit. Ita per aeternas naturae leges perpetuo luctantur Memoria et Oblivio: utraque Graecis dea: illa Mnemoſyne, coeleſtis, mater Muſarum, omnium genitrix artium: haec Lethe, ſoporiferi praeſes fluvii, omnem ante actarum rerum cogitationem ex animis mortuorum abluentis, indeque rivum ad ſuperos emittens, et viventium mentes adſpergens, naſcentia in illis ſcientiae lumina exſtinguens: quae niſi perpetuo Mnemoſyne repetendo accenderet, tota humana vita ſempiterno ignorantiae ſomno obrueretur. Adeo gemina et cognata ſunt negotia colendi agri et ingenii:

Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit, primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi paſſus ſua regna veterno.

Inſtat enim ubique et tacita obrepit Lethe, proxima quaeque ſemper corripiens, omnem penitus vitae actionem cognitionemque abſorptura, niſi, duce et auſpice Mnemoſyne, mortales ei ſine intermisſione reſiſtant exercendo et repetendo:

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Redeamus ad Was. aerium nostrum. Tertius hic annus est, quum primum ad me domum venit, auditorem se professurus. Ibi tum sponte in eo eluxit illud *incoctum generoso pectus honesto*, quod studiis non pervulgatum insigne honoris, sed verum honorem debitamque meritis gloriam, doctrinamque non propter emolumenta ejus et praemia, sed ipsam propter ipsius decus ac praestantiam appeteret. Ingenue affirmabat, se per accuratam Literarum cognitionem ad Jurisprudentiam et civilem rationem contendere. Proposui ei aeternum Batavi nominis ornamentum Hugonem Grotium: depromsi ejus immortalem librum De Jure Belli et Pacis, ostendi omnia ex Graecis Latinisque fontibus hausta, et praecepta ad docendum, et argumenta ad probandum, et exempla ad illustrandum. Ille librum evolvit, inspexit, et ingenti percussus admiratione, vehementiore etiam quam antea Literarum amore incensus est. Mox in scholas ventitans, jam tertio mense tantum profecit, ut inter principes veteranos elucerent. Nec mirum! tria illa ei aderant discendi subsidia: ad naturam et institutionem adferebat exercitationem repetitionis iteratae cum

in

in meditandis ſcholis, tum in legendis auctoribus antiquis, ad eam rationem, quam ſupra narravimus. Et in auctoribus rite orſus ab Homero, deinceps Heſiodum, Xenophontem, tum Thucydidem legit: aliorum, quos mox totos excuſſurus erat, partes praecepit, Herodoti, Platonis, Plutarchi, Euripidis, Ariſtophanis: ne dicam de minoribus, Anacreonte, Theophraſti Characteribus, [illegible] ſimilibus. Latinarum autem Literarum ſibi tamquam domicilium, in quo habitaret, conſtituerat Ciceronem, cujus et doctrinâ ingenium aleret, et oratione ſtylum exerceret: huic adjungebat, veluti diverſoria, Terentium, Nepotem, Salluſtium, Caeſarem, omnino hiſtoricos; quod hoc genere maxime delectabatur: tum vero poëtas principes, Virgilium, Horatium, Propertium, Ovidium, in quibus libenter Graeca veſtigia indagabat imitationemque notabat.

Jam tempus erat, ut qui tantos progreſſus haberet, eorum ſpecimen ederet. Sumſit ſibi Chryſippum, cujus vitam, placita, librorumque reliquias exponeret: aliorum exemplo noſtrorum quondam diſcipulorum, qui ſimilem operam navarunt Muſonio, Ariſtoxeno, Panaetio, Poſidonio. At ingreſſus hoc argumentum, animadvertens latius patere quam ut brevi conficeretur, id quidem in poſterum diſtulit, aliudque praeoptavit: Ciceroniani operis De Fini-

nibus librum tertium et quartum, qui ſunt de Stoica ratione: eoque referebat lectionem totius Ciceronis, Diogenis Laërtii, Stobaei, aliorum: tum vero ad ſcripturam illorum librorum emendandam, et hos et reliquos tres libros, cum vetuſto codice ſcripto Bibliothecae Leidenſis comparavit.

Atque haec hactenus memorata hujus triennii acta, tot tantaque fuerunt, [illegible], ſi nihil aliud fecisſet, vel his ſolis inſignem diligentiae induſtriaeque laudem meruisſet Wasſenaerius. Nunc eodem tempore alia multa magnaque confecit. Primum Jurisprudentiae operam dedit: ejusque Profesſores asſidue audivit, Inſtitutiones, Pandectas, Jus Naturae, enarrantes: nuper Candidatus factus, mox ſummos honores adepturus erat. In aliarum quoque disciplinarum ſcholas ventitavit, Phyſices, Botanices, Hiſtoriae Naturalis. Deinde ab his ordinariis ſtudiorum penſis, ſubinde quaſi extraordinaria digresſione facta, aliarum cognitionem doctrinarum percepit. Itaque quod Plato pronunciavit ſignum esſe ingenii philoſophi, quodque Plutarchus in Ciceronem accommodavit, omnem disciplinam diligere, nec ullum ejus genus contemnere, hoc ſuo ipſe exemplo Wasſenaerius comprobavit. In quo talis ingenii documenta quum praeter ea, quae dixi, multa exſtiterint; pau-

pauca, eaque cum ejus erga me amore conjuncta, referam.

Et ſponte ſua, et Ciceronem legens animadverterat, Literarum ſtudium conſtare non posſe ſine Logicae ſcientia, quae doceret definiendo, dividendo, argumentando, verum à falſo discernere, invenire, dijudicare, cum aliis communicare, omnino via et ratione disſerere. Itaque legit noſtrum libellum *Praecepta Philoſophiae Logicae* inſcriptum. Cujus quum esſent duae editiones, prima noſtra, altera Halae in Germania à celeberrimo philoſopho Jo. Aug. Eberhardo repetita, et, ut quidem titulus profitetur, *ſcholarum uſibus accommodata*, Wasſenaerius utramque nactus, eas inter ſe contulit, quod ego facere adhuc ſuperſederam, annotationemque diverſitatis diligenter confecit, mihique tradidit; unde cognovi novum editorem paucos locos, idque contra meum conſilium, vel omiſisſe vel mutasſe.

Hoc libro lecto, ad philoſophiae Literarumque Hiſtoriam, quam in ſcholis noſtris inchoaverat, accuratius cognoscendam excitatus, majores meos de ea commentarios à me petiit, quos deſcriberet et meditaretur. Omnino ſupra vulgarem modum cum Univerſam Hiſtoriam, tum illam ejus partem tenebat, ut et philoſophorum caeterorumque ſcriptorum veterum vitas,

tas, placita, libros, et populorum res conversionesque, regum principumque facta in promtu haberet. Totius autem philosophiae brevem et compendiariam cognitionem, sed praesenti proposito sufficientem, praecipiebat ex Ernesti Initiis Doctrinae Solidioris. Et vero hujus caetera, itemque Mureti et Ruhnkenii scripta multum lectitabat, idque propter doctrinae praestantiam orationisque suavitatem, quae puritate, compositione, et eleganti philosopha ratione ad antiquorum formam accederet.

Phaedonem quam diligenter meditatus sit, ut fere totum in numerato haberet, ostendit acuta loci impediti explicatio, quam ipse mecum communicavit, ego in Addendis commemoravi. Et tamen editionem nostram quamvis saepius sibi lectam, rursus legit ab initio ad finem, à me rogatus, ut operarum menda notaret; ad quod genus singulari oculorum cogitationisque intentione valebat. Opus perhumaniter recepit, affirmans se id tam sui, quam mei caussa facere; esse enim bonorum librorum lectionem ejusmodi negotium, ut sibi iterum iterumque repetita semper novum intelligentiae suavitatisque fructum adferret.

Ejusdem officii humanitatem, cum sociis condiscipulis nonnullis, mihi praestitit in Philomathiae libro secundo. Quos si ad primum item et alios superiores nostros libros adhibere po-

potuisſemus, invidis et obtrectatoribus noſtris, mendarum typographicarum aucupibus, reprehendendi peccandique materiam praecidisſemus. Caeterum, in eodem Philomathiae libro ſecundo ab operarum erroribus purgando verſans, animadvertit, quaedam Sanctocrucii ſcripta me fugisſe, eorumque notitiam mihi nil tale exſpectanti ultro obtulit: quae à me prodita (p. 263.) omnibus harum rerum intelligentibus documento est ſingularis curae ac diligentiae, qua omnes libros perlegere et excerpere conſueverat.

Selecta noſtra principum Hiſtoricorum jam aliquoties legerat, quum rurſus ea legere conſtituit, et primam cum altera editione conferre. Qua in lectione non modo quid in rebus, ſed etiam quid in Latinis verbis mutatum esſet, animadvertebat, ejusque rationem à me exquirebat. Erat enim Latinitatis et cultor asſiduus, et judex intelligentior quam ab ejus aetate et brevi ſtudiorum ſpatio exſpectari poterat.

Omnino ſcripta mea omnia valde expetebat, frequenti cognitione et uſu terebat, et ſi quid eorum ignoraret, me interrogabat; ſive amore ille mei, ſive judicio, ea ſibi ad propoſitam ſtudiorum rationem conducere ratus; ſemel autem cognita ſic tenebat, quaſi in iis habitaret: quid quoque loco dixisſem, ſubinde melius norat quam ipſe ego, meque dubitantem aut ignorantem, certiorem faciebat.

Fuit nuper fimiolus literatorem agens meque conviciis incesfens. Hujus obfcoenam gefticulationem et abfurdum clamorem Vos mecum ridebatis: Wasfenaerius etiam materiam fibi eum fecit exercitii grammatici, ejus furta et fermonis vitia notans. Adeo pesfimos quosvis libros in fuum ufum convertere norat.

Venio ad novisfima. Proximo menfe Majo habita est auctio librorum magni Valckenarii, quorum in marginibus plerumque erant annotationes hujus manu fcriptae, fed variae numero ac momento, multae vel paucae, verae vel falfae, prouti aut fubito aut cogitate notatae esfent. Igitur emtor ne deciperetur, ad pervolutandos libros cum judicio et fcientia etiam tempus et laborem adferre debebat. Hoc fecit Wasfenaerius cum Veftrum nonnullis, qui jam fciretis quid diftarent aera lupinis; mihique utilem indagandi operam praeftitistis.

Per hanc opportunitatem aliud quoque mihi mercuriale inventum, five ἕρμαιον, bonus Wasfenaerius attulit. Alias multas Valckenarii fchedas apud ejus generum Stephanum Luzacium, virum honoratisfimum, fervari noram: in his esfe Ruhnkenii et Valckenarii mutuas epiftolas, non noram. Has Wasfenaerius, fciens quantum ego in colligendis Ruhnkenii Epiftolis laborarem, perveftigavit, reperit, evolvit: eam, qua Valckenario inventum fuum in Photio narrat, quod-

que

que ego quondam è Ruhnkenio auditum, non accurate recordans, univerſe in hujus Vita ſignificavi: hanc igitur deſcripſit, deſcriptam continuo curſim ad me detulit. Ego, hoc indicio admonitus, caeteras omnes has epiſtolas à Luzacio, viro humanisſimo, et petii et accepi.

Quum ſaepe ex me in ſcholis ac ſermonibus audivisſet, quanta inter Graecam Latinamque linguam compoſitionis diverſitas intercederet, idque experimento Graeca Latine, et Latina Graece, vertendi certisſime apparere; Graece autem recentiorum eruditorum hominum complures bene ſcripſisſe, idque factu etiam aliquanto facilius esſe quam Latine ſcribere: hoc igitur audito, Wasſenaerius cum praecipuis Graecarum ſcholarum discipulis me rogavit, ut ex quatuor ſcholis unam Graecae ſcriptioni tribuerem. Quod ego quum fecisſem noſtis profecto, Vos, qui nunc adeſtis illarum ſodales ſcholarum, quanta cum induſtria has ſcribendi exercitationes obierit ac perceperit. Ipſe etiam hoc in genere ſuum ſibi, ut ſolebat, ſeparatim inſtituit penſum, vertendo Ciceroniano Paradoxorum libello, antea ſibi in ſcholis noſtris Latinis pertractato: ejusque Exordium à ſe converſum mihi oſtendit, judiciumque meum ut ſibi impertirem, me rogavit. Ego indefesſum optimi adoleſcentis ſtudium magnopere miratus, nolens id cum minore, quam par erat, fructu

consumere; suasi ei ut initium vertendi faceret in Historico, ostendens quantum ad intelligendi facilitatem interesset inter historicum et didacticum genus: depromsi ei eumdem Paradoxorum libellum ab Adriano Turnebo Graece redditum: jussi eum, illius et suum Exordium inter se comparare: tum continuo Nepotem in manus dedi, ut conaretur eum Graece reddere. In quo quum sibi opera quamvis subita facilius, quam in illo meditata, succederet, atque utriusque generis et interpretationis differentiam agnosceret, et porro ei dicerem, me puerum aliquot Vitas Nepotis Graece vertisse; domi statim idem agere coepit. Sed fuit hic quoque unus ex postremi anni laboribus, quos haud ita multo post mors intercepit.

Disputandi scholas ut haberem, ipse fuit in primis hortator: meministis qua industria iis praetor praefuerit: ut nostram rationem Vobiscum probaverit et aliis approbaverit, jungendae dialecticae et rhetoricae exercitationis: publicae autem et privatae actionis disjungendae; ut simul ad Latinae orationis facultatem et dialecticae disserendi rationem proficeretis. Meministis, ut postrema in disputatione interrogantis partes agens eas amanter et facete concluserit, ponendo hujusmodi syllogismo: quidquid studiis hoc anno salutare fuerit, id etiam proximo anno persequendum esse: fuisse autem salutares

res disputandi ſcholas hoc anno ſtudiis; ergo Praeſidem rogandum eſſe, ut eas proximo etiam anno perſequatur. At bonus Waſſenaerius voti hujus fructum ipſe non tulit: dixerat hoc exeunte Junio, Julio exeunte occidit!

Longum est caetera referre, quae vel pro ſe ipſe legendo meditandoque didicit, vel in hoc genere erga alios ſtudioſe officioſeque fecit. Ad quae quum alia multa domeſtica, et vetera et nova, negotia accederent, plane mirabile videatur quomodo his tam multis laboribus vires ac tempus ſuppeditare potuerit. Poſtremus fuit ei hic labor. Annum vigeſimum primum completurus calendis proximis Martiis, ac titulum dominiumque ſuſcepturus erat utriusque Cattovici, et Valckenburgi; quorum reditus mater, ut tutor, adminiſtraverat, adminiſtrationemque, in qua filium inſtituerat, eidem jam tradiderat. Quo ille honore adeo non gloriabatur, ut fere nemini, niſi quibus neceſſe eſſet, ejus rei notitiam impertiret. Caeterum quomodo in hac rerum commutatione aviti patrimonii poſſeſſionem tueretur multum cogitans, eique expediendo an oblatum ſibi Majoris Cattoviceni munus acciperet, varie deliberans; tamen, ne Academica ſtudia nondum decurſa abrumpere cogeretur, recuſans; interea morbo corripitur, ſubitoque quaſi fulminis ictu nobis eripitur!

Epaminondas bello Leuctrico audiens virum

ſtrenuum et laborioſum morbo periisſe, *Heu!* inquit, *quomodo tali viro aegrotare vacavit?* Et hoc nobis de Wasſenaerio dicere licet, et multo etiam magis illud, Quomodo tam occupatus ordinariis ſtudiis adolescens tam multa extraordinaria, atque adeo tot tantaque à ſtudiis aliena negotia tractare, quomodo denique triennii ſpatio in Literis ac disciplinis tantos progresſus facere potuit? Operae pretium est pauca reſpondere, quae ad Vos monendos pertineant.

Quum, quod ſupra diximus, ad proficiendum discenti tria adesſe debeant, natura, inſtitutio, exercitatio; ſaepe fit, ut in his, quamvis paribus, dispares fiant profectus; et plures discentes, in quibus tria illa aequalia ſint, non aequaliter proficiant. Scilicet omne momentum poſitum est in exercitationis labore recte gubernando; ſiquidem alius multo labore parum, alius parvo multum efficere potest. Sequenda est certa via et ratio, quae à principiis et facilibus orſa aditum ad difficiliora patefacit: nec ulla pars nondum ſatis perſpecta ſine animadverſione praetermittatur. Veluti, ut hoc utar exemplo, in Graecis et Latinis, verbum, nomen, particula, conſtructio, ne praetermittatur quin ejus rationem et uſum indagemus ac perſpiciamus. Sic factitabat Wasſenaerius, probe ſibi perſuadens, ſe ſic non in minutis rebus, ſed rerum magnarum fundamentis verſari, nec esſe

esse quidquam parvum, quod ad magnum finem tendat.

Porro, vitae agendae constantem ordinem adhibebat; ut totum ei tempus in suas partes distributum, cuique penso ac negotio sua pars constituta esset; ut et solitis rebus tempus superesset, nec subitis deesset. Atque hac in dispensando tempore diligentia et quasi oeconomia, illud etiam consequebatur, ut nec actum quid ei periret, nec agendum elaberetur. Veluti in legendis Veterum scriptis quidquid in rebus vel verbis memorabile videret, id continuo in Adversariis, per literarum ordinem digestis scribebat, unde postea facile quidque promeret: si quid autem ei aliud agenti, subito in mentem veniret, si quid etiam ex aliis narrantibus audiret, agendum, quaerendum, inventum, hoc statim in libello memoriali notabat, deinde prouti opus esset, vel agebat, vel in Adversaria referebat: adeo cavebat, ne sibi quid utile, semel cognitum, ex memoria efflueret.

Duo autem in primis ei profuerunt, quae ex puerili institutione in nostras scholas attulit. Alterum, cognitio elementorum Geometricorum, quae quamquam leviter percepta, tamen eum ad illam methodum adsuefecit, ut etiam in Literis et aliis disciplinis nil sibi tradi-

tum temere pro vero acciperet, sed definitiones ac demonstrationes requireret; indeque ad Dialecticae praecepta delatus, hanc facultatem magis etiam confirmaret, et amplificaret. Alterum est, quod non ignarus Historiae Geographiaeque ad nos venit; quarum initia in vulgaribus adeo scholis tradi solita, in gymnasiis tamen, sive Latinis, ut vocantur, scholis multis nimium nimiumque negliguntur. Unde saepe fit, ut hinc discipuli in Academias missi, Academicos doctores Historiam docentes vel non audiant, vel audientes novitate argumenti in distribuendis aetatibus et distinguendis annis se ipsi impediant, denique hoc studium, unum omnium facillimum ac jucundissimum, tamquam difficile ac molestum deserant. At Wassenaerius, qui jam antea Historiae suavitatem utilitatemque praecepisset, nostras de eâ scholas eo magis expetere et adamare coepit; indeque profectus ad alias Historiae partes, veluti Literarum, Philosophiae, Doctrinarum, hac luce, quae aliis essent obscura, sibi clara et perspicua reddidit; quum quamque rem, sive populorum conversiones, bella, pacta, sive leges, Senatusconsulta, constitutiones, sive scripta et placita doctorum, ad suum tempus, locum, auctorem, referre nosset. Vel extremis his paulo ante obitum mensibus, quum ad interiorem scientiam Juris Francici, patrimonium-

niumque suum tuendum pertinere judicaret, Francici Regni historiam, cujus brevem epitomen nostris in scholis praecepisset, ampliorem uberioremque percipere; id exiguo tempore consecutus est; quod Francici Regni originem et progressum, ejusdem cum caeteris Europae populis nexum et conjunctionem, omnino Veteris, Medii, Recentioris Aevi res rationemque teneret.

Nos igitur quidni moereamus orbati sodali tam docto, tam grato, tam nostrûm amante? Moereamus sane! sed moerorem aliquando sequatur ac leniat ratio. Me vero et adhuc illa, quae nunc Vobis proposui, monita confirmarunt; et recenti casu vehementer afflictum erexit Virgilianae Musae carmen in Daphnidem, nuper a nobis tractatum praesente Wassenaerio; mox, mortuo ipso, forte tunc in mentem mihi veniens; Daphnidem, inquam, pastorum principem, cujus in funere ut olim tota Sicilia luxit, sic ad famam de obitu Wassenaerii nostri, omnis nostra Batava patria, certe nemo non in quo vel paululum inesset humanitatis, et condoluit et ingemuit. Quod carmen quum mirifice temperatum sit ad praesentem nostrum affectum, et acerbitate doloris, et desiderio amoris, et lenimento consolationis; Vos ipsi totum postea legatis: nos nunc, age, sertum inde nectamus, et huic Wassenaerii nostri vel me-

moriae vel laudationi, aptemus coronidisque instar imponamus;

Exstinctum Musae crudeli funere Daphnin
Flebant, vos coruli testes et flumina Musis;
Quum complexa sui corpus miserabile nati
Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.
Nos etiam quocumque modo illi nostra vicissim
Dicemus: Daphnin nostrum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus; amavit nos quoque
Daphnis.
Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes; ipsae jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille beatus!
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi Daphni, duas altaria Phoebo;
Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus Musis, et quum lustrabimus agros,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

CENSURAE.

C E N S U R A E.

I.

ΠΛΑΤΩΝΟΣ ΦΑΙΔΩΝ. PLATONIS PHAEDON: *explanatus et emendatus Prolegomenis et Annotatione Danielis Wyttenbachii. Lugduni-Batavorum, apud Haakios et Honkoopios.* MDCCCX. 8. *pagg.* 366. *Prolegom.* LXIII.

Scriptorem de aliis libris referentem de fuo item referre, nec à more recepto abhorret, et rationi confentaneum est. Ipfum enim quemque optime fcire oportet quid fibi fcribendo libro propofitum habuerit, quomodo quantamque ejus propofiti partem aut effecerit, aut infectam reliquerit, quibus in locis vel fatisfecerit fibi, vel adhuc quid defideret: eamque fcientiam in publicum promens, fuique ipfe quafi cenfuram agens, alios et lectores et cenfores in veram de libro recte judicandi viam inducet. Dicimus autem fcriptorem, qui cavere fibi fciat, ne in judicio proprii operis amor fui veritati officiat: quod ita maxime confequetur, fi argumentum fuum, et ratione perceptum et ufu pertractatum, unice ad legentium intelligentiam

tiam utilitatemque accommodet, in ea maximum operae suae fructum ponat, eamque operam doctis prudentibusque viris probasse contentus, vulgi laudem reprehensionemve contemnat. Quo in Scriptorum numero nos ut essemus, semper studuimus.

Sed significatio propositi etiam in praefatione et fieri solet, et à nobis facta est: quanta propositi pars effecta sit declarare, ampliorem postulat, quam pro finibus praefationis descriptionem: cujus materiam item scriptori quam alieno censori magis cognitam esse, par est. Et praeter hanc duae apud nos ad Phaedonis nostri censuram suscipiendam valuerunt causae quarum altera ne vix quidem ab alio quam à nobis expediri posit. Prior haec est: quod opere per temporum varietatem interpellato, Annotationis modus mutatus est; neque hic modus, neque temporis in opere consumti spatium, congruit cum brevitatis professione, quam in principio praefationis posuimus: cujus rei rationes quamquam in Epilogo reddidimus, tamen, ne anteaquam lectores ad hunc pervenirent, illarum rationum ignoratione dubii haererent, eas nunc etiam hac in censura exponendas duximus. Posterior illa est causa: quod libro jam edito, in quosdam et complures adeo aliorum Scriptorum incidimus locos, eosque necessarios nostrae Annotationi vel augendae, vel

vel confirmandae: quos quum in Addendis subjicere non potuissemus, in hoc Philomathiae capite explicandos censuimus.

Neque enim dubitamus fore, qui, quum in praefationis principio, sub finem anni MDCCCVI scriptae, legerint *hanc editionem subitam, brevi opere confectam, nec nisi ad instantem paratumque scholae nostrae usum compositam esse*, mirentur nec modum nec tempus editionis illa cum professione congruere; et librum nunc demum emitti anno MDCCCX, haud exiguo stipatum comitatu Prolegomenorum et Annotationis. Hos scire volumus illam brevitatis festinationisque professionem referendam esse ad illud tempus, quo scripta est, exeuntis anni MDCCCVI. Nam quum Phaedonem non nisi ad scholarum nostrarum usum edere constituissemus anno MDCCIV; primo nobis propositum fuit, solum dare Graecum opus, et interpretationem omnem ad scholas rejicere. Deinde bibliopolae et familiaribus studiosis flagitantibus, ut libro aliquam emendationis explicationisque commendationem adjungeremus, concedendum faciendumque judicavimus: et brevem illam, quantum ejus in Adversariis paratum erat, expromere, eique Dissertationis nostrae *De Placitis Immortalitatis Animorum*, memoratae in Bibliothecae Criticae Parte IX, pag. 116, Caput V *de Platone* praemittere instituimus. Quod dum agebа-

bamus, praesens materiae pars ita se aperiebat et quasi occurrebat, ut ad absentem etiam partem quaerendam induceremur, et jam uberius quid ampliioremque commentarium animo agitaremus. Sic erat anno MDCCCIV exeunte, quum Graecum Phaedonis exemplum typis describeretur, et continuo ad scholae nostrae usum adhiberetur. Interea, ut assolet, ab hoc opere ad aliud deinceps et aliud avocabamur. Nam et Plutarcho justi reditus debebantur. Et eumdem annum Philo absumsit: sequentem Plotinus et Bibliothecae Criticae Pars XI: proximum Cicero de Natura Deorum scholis instruendus: deinceps MDCCCVII ineuntem Leidae clades nobis funestavit, procedentem et exeuntem recreavit Bibliothecae Criticae Pars XII: sequentem dedimus interpretibus Platonicis nondum editis Olympiodoro, Hermiae, Proclo, excerpendis, item Ciceronis operi de Finibus ad scholarum interpretationem accommodando, et Animadversionibus in Eunapium inchoandis: proximum MDCCCIX Annotationi in Phaedonem perscribendae, et Philomathiae Libro Primo. Quae nos non ideo commemoramus, ut industriae laudem aucupemur, sed ut retardati Phaedonis rationem reddamus. Nam acceptis demum variis lectionibus Venetis et Vindobonensibus Annotationem conscribere coepimus d. XXV Martii a. MDCCCIX: perscriptam d. IX Junii tradidimus librariis: qui

ejus

ejus descriptionem librique editionem in mensem hunc Augustum a. MDCCCX extraxerunt.

Jam, ut Phaedonem ederemus, causfae nos impulerunt et graves et necesfariae. Neque enim quisquam adeo est humanitatis expers, ut ignoret Platonem ab omni aevo celebratum esse non intelligendi solum, sed et dicendi, gravissimum auctorem et magistrum, id est, eumdem et philosophiae et eloquentiae principem: neque quisquam, qui hoc non ignorat, dubitabit, quin adolescentes optimis studiis destinati, lectione tanti auctoris imbuendi sint. Itaque, ex quo Graecas Literas docuimus, subinde nobis in scholis Platonem interpretandi argumentum sumsimus; siquidem idonei nobis obtingerent discipuli, qui non contenti pervulgato ac puerili Graecae linguae modo, altius spectarent: cum orationis elegantia, disserendi quoque diligentiam consectarentur, ejusque consectandae laborem ferre posfent, atque adeo per dialecticae subtilitatem ad ethicae humanitatem, et physiologiae divinitatem, percipiendam contendere vellent. Cujusmodi discipulos quum anno MDCCCIV nobis nacti videremur, proposuimus iis interpretationem Platonici libri. Quod illi propositum quum grati lubentesque accepissent, ecce copia exemplorum deerat. Ibi tum statim decrevimus unum aliquem dialogum edere, sive nos ipsius numine Platonis instincti,

C sive

five ftudiis optimorum adolescentum abrepti; qui noftrarum ipfi rerum veluti ignari, et immemores veteris ac perpetui Plutarchei oneris, novum etiam et extraordinarium munus edendi Platonici dialogi fusciperemus; praefertim intelligentes idem nobis eventurum, quod in Selectis Hiftoricorum Graecorum evenisfet, ut gratificandum esfet librario aliquid additamenti et Annotationis poftulanti, quo libellus ad alios etiam, extra noftram fcholam, lectores commendabilior redderetur. Quae Annotatio, uti diximus, quum primo brevis deftinata, deinde largior inftituta; postea, nobis ad eam confcribendam accedentibus, ad illius fibi primo deftinatae brevitatis confilium revocata fuisfet: denique, pergentibus longior, quam putabamus, inter fcribendum exiit. Atque haec admonitio ad fimilem brevitatis profesfionem p. 100. pofitam pertinet; ne quis miretur, eam cum reliquo Annotationis opere non fatis congruere.

Quod autem Phaedonem maxime fumfimus, rationes reddidimus, quas hac in cenfura item referre oportet. Quaerebamus unum dialogum eum, ex quo potisfime Plato cognosceretur, certe in omnibus eloquentiae virtutibus, perfpicuitate, fuavitate, gravitate: cujus argumentum et momento, et materia, et ratione, discentium fructui captuique maxime conveniret: qui denique perfonarum actionisque varietate ac dis-

dispositione, tamquam dramatis verisimilitudine, in ipso dialogorum genere excelleret. Jam, qui omnes has dotes adferrent, quorumque adeo in hoc delectu rationem habere possemus, duo erant, Convivium et Phaedon: illud comoediae, hic tragoediae finitimus: quorum utrum sumeremus, optio difficilis erat. Nam, ut caetera paria aut non multum diversa essent; Phaedon movebat gravitate et affectu: Convivium alliciebat facilitate, festivitate, et vero subsidiis, quibus editionem instrueremus: quippe qui adolescentes hunc et Phaedrum dialogum edere destinassemus, postea, deposito quamvis edendi consilio, tamen subinde quaedam annotassemus. Et Phaedon et Convivium in iis erant dialogis, quos initio Platonicae nostrae lectionis continuo vehementer adamassemus, commentariis in nostrum nobis usum illustrassemus, quos deinde, progressu aetatis et cognitionis, animadversis opportunis aliorum Scriptorum locis auxissemus. Et utrumque dialogum diversis temporibus aliquando in schola discipulis interpretati eramus: et his Phaedon magis placuerat quam Convivium. Cujus discriminis caussam hanc verissimam deprehendisse videmur, quod Convivium quidem ad placendum lectores magis exercitatos postulat. Nam quum utriusque dialogi descriptio, cum totius personis ac sermonibus distributio et oeconomia, tum sin-

gularum partium, quasi luminibus, exornatio, mirabiliter ad vitae speciem verisimilitudinemque conformata sit; haec tamen in Phaedone magis est aperta ad intelligendum recentibus ac rudibus, magis omnium hominum communis, quam propria solis Graecis: in Convivio eadem fere continetur more interiore Attico, et omnino Platonico, festivitate, ironia, suavitatibus non modo salis et condimenti instar adspersis, sed per totum libri tenorem aequabiliter fusis: quarum vim ut subtilem ac lenem, nec scurrilem et crassam suo quisque lector sensu per usum lectionemque plurium Platonis dialogorum exercitato, percipere potest: doctor, quamvis intelligens, ad inexercitatorum sensum explicare non potest. Porro, quod materia Convivii de *Amore et Pulcro*, materiam Phaedonis *de Animorum Immortalitate*, facilitate et perspicuitate superat: sunt istae Phaedonis partes ita obscurae, ut tamen ab intelligente doctore ad intelligentiam discentium, verborum significatione, argumentationumque nexu ostendendo, explicari possint; modo illi natura non ad omnem dialecticam et philosophiam prorsus hebetes et plumbei sint. Sic enim se res habet, ut *intelligentiae* materia sint verum et falsum, eaque doceri rationibus possint: *sensûs* autem materia sit pulcrum et turpe, gratum et ingratum, omnino quidquid placet aut displicet;

cet; quod nisi sponte et ultro ad sensum accidat, tum demum percipitur, quum ad intelligentiam usus et exercitatio accesserit. Nisi forte quis putet, sensum ita esse excitandum in discipulis, ut magister suo judicio adclamet, *Ecce quam venustum!* Admonitio adsit, quae valeat ad observationem, rationem, et usum. Adclamatio desit, facillimum negotium: quod ab imperitis magistris ad dissimulandam ignorantiam factitatum, similes illis fert discipulos, rerum ac doctrinae inanes, vana sapientiae opinione plenos.

Ergo vicit apud nos Phaedon, et hoc sane in censu vincere debebat. Nam sive argumentum spectamus, ecquod majus graviusque esse potest, ecquod humanum animum aut propius attingere, aut vehementius sollicitare, quam cogitatio de futura sui post hanc vitam conditione et immortalitate? Sive colloquentium personas, locum, tempus, intuemur, Socrates, philosophiae parens ad mortem condemnatus, ultimo vitae die, in carcere cum amicis ac discipulis, solita comitate et mentis tranquillitate, de hoc argumento sic disserit, non ut ad mortem, sed ad beatam vitam cum diis immortalibus degendam se abire demonstret. Sive caeteras, tamquam dramatis, partes consideramus, omnes hae partes, actiones, sermones, initium, progressus, exitus, eam habent rerum

ac dispositionis veritatem, quae legentium animos incredibiliter capiat, teneat, et vario deinceps affectu verset, sollicitudinis, commiserationis, admirationis, benivolentiae, atque in rem praesentem, ipsumque in locum auferat, ubi ipsi in carcere Socratem et loquentem audire, et morientem videre videantur; ut hic dialogus non modo justae tragoediae numerum obtineat, sed omni, quamvis flebili, tragoedia efficacior sit ad communicationem affectus ac doloris, quippe nullum poëticum ornatum desiderantis, nullis verborum vel numeris constricti, vel fuco obliti, ab omni artis suspicione remoti, sua ipsius natura valentis, ex sola rerum personarumque veritate nati: ut in quemvis non inhumanum lectorem conveniat, quod Cottam dicentem facit Cicero De Nat. Deor. III, 33: *Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari soleo, Platonem legens.*

Nam illud quidem per est putidum et obsoletum, quod vulgo crepant, illa immortalitatis argumenta longe abesse à demonstrationis evidentia et firmitate, ipsumque Ciceronem Tuscul. I, 11, sic judicasse. Quasi vero nil probandum sit, nisi quod ad illam evidentiam firmitatemque demonstrari possit. Aut quasi locus de immortalitate illam demonstrationem capiat, quae ratione mathematica uno argumento certo conficiatur, ac non ex multis probabilibus colli-

ligatur argumentis, quorum conjuncta vis ad eum gradum augeatur, qui satis valeat ad persuadendum, post mortem bonis bene fore. Aut quasi Cicero id, quod volunt, ex sua ipse, ac non ex discipuli persona dixerit: quem quum admonuisset, *Evolve diligenter Platonis eum librum, qui est de animo; amplius, quod desideres, nihil erit:* eumdem respondentem facit: *Feci mehercule, et quidem saepius: sed, nescio quo modo, dum lego adsentior: cum posui librum, et mecum ipse de immortalitate animorum coepi cogitare, adsensio illa omnis elabitur.* Hanc discipuli confessionem Cicero sine notatione praetermittens, ita disserere pergit, ut qui locum de immortalitate animorum non modo persuasionis, sed et demonstrationis, capacem judicet, cum aliorum philosophorum, tum Platonis ex aliis libris, argumenta adferens. Neque vero Plato in Phaedone omnes expromsit immortalitatis rationes, quas in aliis libris exposuit; quippe quarum et numerus major, et explicatio longior futura videretur pro modo, tempore, ac persona Socratis. Nos quidem, quando Platonis rationes omnes, cum aliis in libris, tum in Phaedone proditas singulatim notavimus in Disputatione anno MDCCLXXXIII ad judices Teylerianos scripta, *de quaestione, quae fuerint veterum philosophorum à Thalete et Pythagora usque ad Senecam sententiae de vita*

et statu animorum post mortem corporis; operae pretium, et hujus editionis lectoribus gratum, nos facturos, existimavimus, si ei ex illa Disputatione caput, quod est de Platone, adjiceremus.

Hactenus de materia. Sequebatur, ut de dictione Platonis moneremus: quoad quidem haec quaestio ad ejus vel perspicuitatem vel obscuritatem pertinet. Constat enim, antiquos fere Platonis dictionem divinis laudibus affecisse, et ejusmodi ferri effata haud pauca, quale illud apud Ciceronem Bruto 31: *Quis enim uberior in dicendo, Platone? Jovem, ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui.* Quod item memorat Dionysius Halicarnassensis in Judicio de Demosthene Cap. XXI, p. 289: sed hic quidem, ut plerique alii rhetores, hoc effatum explodens, et Platonis in dicendo divinitatem multis exceptionibus circumscribens. Illud certe, cunctis approbantibus, affirmamus, Platonis dictionem in omnibus tribus eloquentiae dotibus, perspicuitate, suavitate, gravitate, quamvis egregiam et prorsus admirabilem, hujusmodi tamen esse ut aliquando perspicuitati obsit gravitas: quam ubi vel augere studet in rebus magnis, aut addere parvis, accidit interdum, ut audacia tralationum, trajectione verborum, compositionis inconsequentia, (*anacoluthiam* dicunt), tragicam granditatem affectans, tumo-

rem

rem et obſcuritatem contrahat. Quod vitium in paucis libris est frequens, veluti Legibus, Timaeo, Epiſtolis: in pluribus minus frequens: in plurimis prorſus abest, ubi perſpicuitas et ipſa ſibi conſtat in docendo ac narrando, et ſuavitatem gravitatemque illuſtrat in delectando et commovendo, et eum ſervat orationis candorem coloremque, qui ſit apertus, ſimplex, ſincerus, limpidus, *puroque ſimillimus amni.* Quo in genere laudis ac perſpicuitatis cenſendi etiam ſunt Phaedon et Convivium: quorum ſi quaedam partes vitioſa obſcuritate affectae ſunt, hanc verius librario quam auctori tribuemus. Sed Phaedonis dictio convenit etiam captui tironum; quippe ſimplex et unius modi, uſitata Atticis, communis colloquentibus hujus dialogi perſonis. Convivii dictio paulo magis exercitatos lectores poſtulat; quippe varia et multiplex, pro numero et varietate diſſerentium, quorum cujusque non modo ingenium, ſed etiam propria dicendi forma et character exprimitur. Quod etſi non magnopere difficultatem objicit ad intelligendum quid dicatur, ita obest ad obſervandum quomodo et quam diverſe dicatur: nec animadverti potest, niſi à ſenſu auribusque tritis notanda varietate generum orationis.

Et hae igitur mihi rationes Phaedonem ad praeſentem ſcholae meae uſum commendabant: et accedebat illa cogitatio poſſe quasdam argu-

mentationes intactas praetermitti, si forte ad quorumdam auditorum facultatem modumque difficiliores acciderent. Et noveram magistros qui sic factitasſent: et me ipsum semel fecisse memineram: neque quidquam discipulos ad delectationem dialogique integritatem desiderasse.

Est enim hoc Phaedonis tamquam iter; ut introitus et exitus sint narrationis quasi amoena vireta: medium, dialecticae quasi dumetum, necessarium quidem illud nec prorsus tenebricosum et impervium, sed raro et sublustri et lumine interspersum, et tramite patefactum: at dumetum tamen: in quo verendum esset, ne tirones rerum obscuritate ac disputationis subtilitate defatigati, scholas desererent. Quem metum augebat ipsius exemplum Platonis, cui hoc accidisse, legimus apud Diogenem Laërtium III, 37, ut, dialogum Phaedonem recitans, solus relinqueretur, omnibus deinceps abeuntibus, uno Aristotele excepto. Sed ad istam compendiariam viam quominus descenderem effecit reputatio studii facultatisque plerorumque discipulorum, qui constantes et permansuri viderentur; quosque illo cognitionis et laudis fructu defraudari, iniquum esset; quippe in epitomes facilitate, remanentibus omnibus, praestantium laus et constantia non eminuisset: at eadem his integra servabatur, servata libri integritate: et erat haec quasi obrussa futura, qua, ut auri, sic

ſic ingenii probitas cognosceretur, et, ut Homerice dicamus quaſi *λόχος, ἔνθα μάλιστ' ἀρετὴ διαείδεται ἀνδρῶν· Ἔνθ' ὅ, τε δειλὸς ἀνὴρ, ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη·* neque proponebatur *ἴση μοῖρα μένοντι· Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἡμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός* (Iliad. I, 318, N. 277.) Nec ſpem noſtram exitus feſellit. Nam quum mihi a. MDCCCIV has ſcholas habenti duodeviginti fuiſſent auditores, quadriennio poſtea eas iteranti ſex ſupra ſeptuaginta fuerunt: et utroque tempore major meliorque eorum pars ab initio ad extremum per longam illam diſputationis ſubtilitatem et rerum obſcuritatem ſtudioſe fideliterque perſeveravit. Talium igitur diſcipulorum ſtudiis nos vel per temporis operisque noſtri diſpendium conſuluiſſe, neque antea umquam poenituit: neque nunc, edito Phaedone, extraordinarii laboris poenitet; quo magis haec eſt libri materia in qua non modo ingenium ad veri pulcrique judicium excolatur, ſed per hanc ipſam culturam animus ad exemplum Socratis, ad ſui cognitionem, et rerum divinarum humanarumque ſcientiam, convertatur: indeque profectus ad omnem virtutem inſtruatur: temperantiam in moderandis cupiditatibus et affectibus; juſtitiam ac beneficentiam erga alios: fiduciam divinae providentiae et gubernationis: fortitudinem in vincendo dolore, ferundis aliorum injuriis, tolerandis vitae calamitatibus, contem-

nen-

nenda denique morte. Qui profecto ex omni Literarum ſtudio fructus et discenti et docenti longe est uberrimus.

Haec fere ex Praefatione retulimus; quae in perpetuo materiae formaeque contextu excerpendi compendium recuſabat: Philomathiae autem lectoribus ad judicandum de noſtro Phaedone necesſariam cognitionem habebat.

Partes libri tres omnino ſunt: *Prolegomena*, *Graecum exemplum Phaedonis*, *Annotatio*. Nam his accenſentur, quae deinceps ſunt, Addenda, Indices, Errata operarum, Epilogus; nec peculiarium partium inſtar cenſentur.

Prolegomenorum nomine non quidem inſcripſimus, ſed tamen uſurpamus tria illa, quae Graeco exemplo praemisſa, paginis LXIII exſtant: *Praefationem*: *Disputationis de Placito Immortalitatis Caput* V. *quod est de Platone*: *Scholarum Metaphyſicarum Psychologiae Caput* V, *quod est de Animi ſimplici natura et Immortalitate*. Ac de Praefatione ſatis diximus. Sectionem autem illius Disputationis, quae est de Platone, et correximus ſubinde ad perſpicuitatem, et auximus aliquot locis ad majorem cum demonſtrandi vim, tum doctrinae modum. In hoc genere ſunt hi loci: v. c. p. XVIII de Lactantii judicio Inſt. Div. VII, 22. Tum p. XXIII, de disſenſu Platonicorum, utrum Plato mundum à Deo et ab aliquo initio

tio creatum, an à se et aeternum statuerit, et illam in Timaeo narratam creationem non nisi ad humanum captum finxerit. Porro de illo placito ab Antiquis jactato, *omni rei aliam quamdam esse contrariam*, veluti si sit compositum, esse etiam aliquid non compositum: si sint bona, etiam mala esse oportere: quod à Stoicis maxime celebratum, jam in Platone exstat, et ab Herodoto ridetur IV, 36: de quo placito nunc quaedam adjecimus p. xxxvii, et in Addendis p. 335. Et erat hujus Disputationis materia in primis conjuncta cum argumento Phaedonis, justaque ac debita hujus editionis accessio; siquidem non solum argumenta illius dialogi de Immortalitate, sed et aliorum dialogorum, recensentur ac dijudicantur, et ex ipsius etiam Platonicae doctrinae principiis repetuntur. Fuit enim is Plato, qui unus ex omnibus philosophis maximum studium in Animorum Immortalitate demonstranda poneret. Itaque ejus argumenta magnam quidem partem in Phaedone exposuit, eadem etiam et alia non pauca aliis in libris prodidit, veluti Timaeo, Menone, Phaedro, de Republica decimo, de Legibus duodecimo. Quae omnia sub unum adspectum à nobis posita, lectoribus Phaedonis cognita et praecepta, multum ad ejus intelligentiam conferre necesse est.

Tertia Prolegomenorum pars est *Scholarum Metaphysicarum Psychologiae Caput* V, *quod est*

est de Animi ſimplici natura et Immortalitate: quod ſcripta demum Praefatione addendum cenſuimus, nec in ea proinde memoravimus. Nam dum in illius Disputationis modo dictae ſectione, quae est de Platone, recognoscenda et ad Phaedonis acceſſionem componenda verſabar, in mentem mihi venit Scholarum Metaphyſicarum olim à me juvene, per duodecim annos Philoſophiam docente, habitarum: quarum unum certe Caput de hoc ipſo argumento ſimplicis naturae et Immortalitatis Animorum, opportunum hujus editionis auctarium fore videretur, quo Phaedonis lectores nexum partesque ipſius quaeſtionis praeciperent, ejusque cognitione inſtructi, paratiores ad lectionem accederent. Quod quum nuper in Bibliothecae Criticae Parte XII, Praefat. p. XIV, me fortaſſe facturum profeſſus eſſem, nunc omnino faciendum eſſe judicavi; cognito frequenti hominum elegantis et, ut ita dicam, patriae avitaeque Philoſophiae amantium ſtudio et deſiderio. Ne vero quem hujus Capitis brevitas offendat, is legat et judicet. Continetur enim deſignatione totius quaeſtionis et argumentorum, brevi quidem illa, ſed, ut puto, perſpicua et ſuis partibus apta: cujus, ut reliquae inſtitutionis metaphyſicae, numerum quemque auditoribus primo dictare, deinde dictatum ſermone explicare, et fuſius ampliusque interpretari ſolebam. Hujus argumentationis via de-

designatur, et quatuor hae partes constituuntur, ut ostendatur: I, Animum non esse corporeum, nec compositum; materiam enim et omnino corpoream naturam cogitare, velle, meminisse, non posse, et intelligendi appetendique facultatibus actionibusque prorsus carere; ergo Animum diversae et contrariae Corpori esse naturae, id est incorporeae, non compositae, simplicis. II. Igitur, quum Corpus morte in suas partes dissolvatur, Animam quippe nullas partes habentem, in eas dissolvi non posse: morte Corporis non item mori, nec in eamdem intereundi communionem implicari: sed sua ipsum natura post Corporis mortem remanere. III. Nec modo remanere, sed etiam vigere, cogitatione aliisque propriis suae naturae viribus valere. IV. Etiam si natura sua corporeus ac mortalis esset, tamen permansurum et immortalem fore voluntate Dei; cujus sapientiam et justitiam in gubernandis rebus hujus universitatis aliter constare non posse. Quae partes deinceps per decem numeros sive paragraphos, paginis quindecim descripta explicantur, argumentis his et titulis: I. Constitutio Loci. II. Dubitationes de simplici Animi natura. III. Distributio argumentorum, quibus istae dubitationes confutentur, in duplex genus, vel justae demonstrationis, vel huic proximae probabilitatis. IV. Justae demonstrationis summa: Corporis natura con-

constat qualitate partium et modo compositionis: at ex neutra ratione existere potest cogitatio, ergo Animus non est corporeae, sed simplicis naturae. Haec deinceps demonstrantur. V. Nam cogitatio non potest effici modo compositionis. VI. Neque potest contineri singulis partibus. VII. Neque motu potest effici. VIII. Argumenta Probabilia. Conscientia sui ejusque constantia, quam vulgo *personalitatem* et *identitatem* vocant, tacito sensu Animum unitatis suae ac simplicitatis admonens. Corporis continuus mutationum fluxus, partibus veteribus abeuntibus, novis accedentibus, immutabilitati conscientiae et perpetuitati recordationis repugnat. Porro in Corporea Animi natura nec Libertas, nec cognitio symbolica i. e. quae per signa fit, locum habet. IX. Jam Animus sua ipse natura post Corporis mortem remanens, neque exstinguitur, quod non nisi ab ipso Deo fieri posset: neque per se cogitationem conscientiamque amittit, ut in quemdam morti similem somnum incidat. Quod suis rationibus ostenditur. X. De Auctoribus et Interpretibus, antiquis et recentioribus, hujus quaestionis de Immortalitate, et in primis de ejus simplicitate. Et nos non dubitamus profiteri, ad nostrum nobis adsensum et philosopham quidem rationem, illa argumenta tantum valere, ut simplicitati justam demonstrationis effica-

caciam, huic autem proximae probabilitatis vim Immortalitati tribuamus. Neque tamen repugnamus quin alii à nobis dissentiant. Qui quidem quomodocumque senserint, illud nobis concedent, hanc materiae et argumentorum descriptionem à lectoribus Phaedonis praeceptam ejus intelligendi quasi iter planius dilucidiusque illis praestituram.

Sequitur *exemplum Graecum*, qui vulgo *contextus* dicitur, paginis 98, eadem typorum forma quae in Selectis Historicorum exstat: idque mere Graecum, nullis additis Animadversionibus, nulla interpretatione Latina, quam vulgo *Versionem* et *Translationem* usurpant. Animadversiones enim, quas nunc *Annotationis* nomine insignivimus, seorsum post Graecum exemplum exhibuimus: ut adhuc in nostris editionibus factitavimus: et reddidimus scripturam editionis Stephanianae, paucis tamen locis nostro judicio codicumque scriptorum adsensu mutatam. Interpretationem autem Latinam nostrum nos institutum abjudicare jubebat ab hac editione; quippe destinata scholis; quarum magna pars in eo posita est, ut ipsi discipuli Graeca Latine reddant, nosque, comparata utriusque linguae proprietate, eorum interpretationem ad Latinam rationem et ad Auctoris sententiam conformemus. Cujus exercitationis fructum fere intercipere solet, interpretatio jam para-

ta et discipulis in promtu ac sub manu posita.

Tertia eaque maxima editionis nostrae pars est *Annotatio;* quae continetur singulorum deinceps locorum vel corruptorum *emendatione*, vel obscurorum *interpretatione*. Quarum utraque; quamquam promiscue expromatur, prouti quisque quamque locus exigit; et ita invicem implicitae sint, ut divelli nequeant; tamen et officio antecedit *emendatio*; siquidem frustra interpretari coneris quae nondum emendata sint: et multo frequentiores sunt partes *interpretationis* quam *emendationis* in Phaedone; quod in eo longe plura obscura quam corrupta sunt.

Emendationis duo sunt fontes, *libri vetustiores* et *conjectura*. Dicimus autem *libros vetustiores*, cum editiones priores, tum codices scriptos: tum vero locos libri edendi citatos à posteris Scriptoribus, sed antiquis tamen, veluti Platonis multos apposuerunt Eusebius, Stobaeus, Grammatici, Interpretes Platonis et Aristotelis, Proclus, Simplicius, alii multi Scriptores. Ergo et hos citatos à veteribus locos diligenter consectati sumus: et editiones priores adhibuimus; cum eas *Omnium Operum Platonis*, Aldinam, Basileenses, Stephanianam; nam posteriores non habent recensionum auctoritatem, nisi quod Bipontina codicis Tubingensis lectiones adfert; tum eas pauciorum quorumdam dialogorum; veluti Forsteri et Fischeri:

tum

tum Versiones Latinas Marsilii Ficini et Jani Cornarii. Aliae autem Versiones nobis cognitae Serrani Latina et Dacierii Francica, non valent ad emendationis subsidium: et ejusdem Dacierii notulae, et Sebastiani Foxii Morzilli Commentarii, et Gottleberi Animadversiones, non nisi ad interpretationem pertinent. Itaque quum hi, quos diximus, libri nobis praesto essent, sed ad propositam emendationis copiam non satisfacerent, alia uberiora, et primum quidem in Bibliotheca Lugduno-Batava circumspeximus. At haec Graecum codicem Phaedonis nullum, nec quidquam aliud subsidii habebat, quam Olympiodori Commentarium, et veterem Latinam versionem, quod constituendae scripturae prodesset. De Olympiodoro, cujus in Platonis Phaedonem Commentarius scriptus in compluribus per Europam bibliothecis exstat, et Forsterus è codice Bodleiano quaedam addidit Phaedoni à se cum aliis quatuor dialogis edito Oxonii MDCCXLV, quae inde sua in editione repetiit Fischerus; quemque Commentarium nuper Mullerus in Notitia Codicum MSS. Bibliothecae Numburgo-Cizensis, Partic. II. MDCCCVII, inter codices ejus Bibliothecae scriptos servatum recensuit: Olympiodorus igitur, de quo et Fabricius dixit Bibliothec. Gr. IX, p. 354, et nos multa citavimus in singulari editione libri Plutarchei De Sera Numinis Vindicta, et in edi-

tione Operum Moralium fragmenta librorum *De anima* indidem prodidimus, habet ille doctrinam non mere myfticam et Plotinianam, fed fubinde etiam hiftoricam et grammaticam; fed tamen ut ipfa verba Platonis et rarius et brevius apponantur, quam ut inde varietas lectionis fatis locuples colligatur. Quod in aliis quibusdam Veterum in Platonem Scholiis fecus est: veluti Hermiae in Phaedrum: in quibus nullus auctoris locus fine Scholiis praetermittitur, et fingulis Scholiis finguli auctoris loci praemittuntur; itaque totus dialogus ad verbum redditur. Sed de Olympiodori ratione et opera uberius alias exponere conftituimus, quod et operae pretium est, nec aut in illam tunc editionis, aut nunc cenfurae brevitatem conveniebat. Valuit tamen aliquantum ad fcripturam conftituendam: fed multo frequentiores ejus locos ad doctrinae historicam interpretationem appofuimus.

Veterem autem interpretationem Latinam, nomine *Verfionis Siculae* infignivimus: cujus ratio et negotium hujusmodi est. Haec verbum verbo reddit; ut appareat, quid in codice fuo interpres legerit, et ipfa propemodum Graeci codicis inftar cenfenda fit. Facta est ab homine, qui fuum ipfe nomen non prodidit; ut quidem fufpicamur, in Sicilia, faeculo XII. Nam codex in quo illa Verfio primo loco exftat, qui

qui est inter libros Biblioth. Lugd. N. 64, deinceps habet eadem manu ſcriptam, et ab eodem, ut videtur interprete factam, ſimilem interpretationem Latinam dialogi Menonis, cum praefatione interpretis, ad hominem item non nominatum, ſed cum quodam indicio temporis et loci. Codicem non ab ipſo interprete, ſed à librario minus perito ſcriptum esſe apparet ex multis locis imperite et vitioſe ſcriptis. Et interpretationem diverſam esſe ab ea, quae ſub Ariſtippi nomine ſervata Oxonii, adhibita est à Forſtero, multae lectiones ab hoc memoratae, et à nostra diverſae, oſtendunt. Eamdem autem esſe atque illam cujus Excerpta exſtant in codice Marciano Veneto, ſpecimina manifesto declarant mecum communicata ab ejus bibliothecae Praefecto, Jacobo Morellio, viro eruditisſimo, Literarum nostrarum ſingulari ornamento, et Historiae Bibliographicae principe: cui viro quum jam ante hos viginti ſex annos nos conciliasſet ſtudiorum communio, multaque in nos collata Literarum et humanitatis officia; facere non potuimus quin, ex ejus ad nos datis epistolis, in Annotatione apponeremus, quae ad rem praeſentem pertinerent: in hac autem cenſura referre brevitatis conſilium nos vetuit.

Ergo quum parum pro nostro conſilio et ſusceptae editionis diligenter conficiendae reli-

gione nostrae nos Bibliothecae juvarent; ab exteris amicis, ſtudiorumque nostrorum fautoribus, uberiora auxilia et rogavimus et accepimus. Atque hac in cauſſa rurſus mihi praedicanda est ejusdem, viri praeſtantisſimi, Morellii, erga me benevolentia, cui mox debui varietatem lectionis duorum codicum Venetorum. Magnam porro copiarum hoc in genere accesſionem nobis contulit inſignis humanitas Bastii, viri eruditisſimi et ornatisſimi, qui Legationi Serenisſimi Dynastae Hasſodarmſtadienſis ab actis, Lutetiae Pariſiorum degit. Hic enim quum egregiae Literarum Graecarum ſcientiae ſpecimen edidisſet Epistolam Criticam, quam recenſuimus Bibliothecae Criticae Parte XI, et meminisſemus eum aliquo illius Epistolae loco ſcribere ſe totum Platonem cum codicibus ſcriptis Bibliothecae Vindobonenſis contulisſe; non dubitavimus ab eo petere, ut nobis varias lectiones dialogi Phaedonis impertiret. Neque vana ſpes nostra fuit. Nam copias nobis ſane luculentas, varietatem lectionis e ſeptem codicibus Vindobonenſibus collectam nobis transmiſit. His igitur viris, Morellio et Bastio, tanti beneficii cauſſa, et nos has publice gratias agimus, et lectores Phaedonis noſtri privatim quique habebunt. Multis enim locis illae nobis copiae cum ad veram ſcripturam confirmandam, tum ad falſam arguendam,

tum

tum ad orationis ſtructuram expoliendam, profuerunt.

Alterum emendationis fontem diximus eſſe *conjecturam*, ubi libri vetuſtiores nil auxilii praebent: quae pertinet non ſolum ad vitii animadverſionem, ſed etiam ad remedii inventionem. Plurimum autem ad ejus facultatem felicitatemque valet, conſuetudo cum univerſae orationis Graecae, tum peculiariter auctoris quem tractamus, ut ejus notando genere tritum habeamus ſenſum: quo quidem in ſenſu et conſuetudine Platonis ſi quid profecimus, multo ſtudio ac tempore inde à primis adoleſcentiae initiis in ejus lectione conſumto et voluptate inde percepta conſecuti ſumus. In Phaedone denique ſingularis etiam haec acceſſit cauſſa, quod eum aliquoties in ſcholis interpretati ſumus, eaque provincia nobis neceſſitatem impoſuit libri ſaepe multumque relegendi, diſputationis ac ſeriei perſequendae, ſententiae ſubinde difficilis ſuis quaſi veſtigiis indagandae, et in omnes partes verſandae, ut ejus rationes diſcipulis redderemus eorumque intelligentiae probaremus. Itaque haud raro nobis evenit, quod et aliis in Scriptoribus experti ſumus, ut in locis quamvis corruptis, ſententia ſemel reperta, verba quoque ipſa vetera et germana reperirentur, eorumque forma ductusque ſic apparerent,

ut et mentis judicium et oculorum ſenſus conjecturae fidem facerent.

Ad illam conſuetudinem animadvertendae notandaeque proprietatis ſi acceſſerit lectio caeterorum Auctorum, colligitur materia et facultas *Interpretationis:* quae adhibenda eſt omnibus libri tractandi partibus, quarum vel obſcuritas illuſtretur, vel difficultas expediatur. Igitur et *res* et *verba* complectetur: in *rebus*, hiſtoriam, antiquitatem, mores, inſtituta, leges, artes, doctrinas, philoſophiam, placita, diſputationis rationem et nexum; quarum partium ſingulae alias continent minores partes, quas omnes enumerare nunc infinitum ſit: in *verbis*, cum propria quaeque illarum rerum modo dictarum, tum et rariora Atticae conſuetudinis, formulas venuſtiores auctori uſitatas, dialogi rationem, orationis compoſitionem, locos à poſteris citatos, imitationes vel ab ipſo ex aliis, vel ab aliis ex ipſo expreſſas: in utrisque operam dabit, ne aut ſatis nota perſequendo putidus fiat, aut non ſatis nota praetermittendo lectorum ſtudia exſpectationemque deſtituat.

Haec quum tam ſint multa tamque varia officia Grammatici, librum rite et ad legentium intelligentiam accommodate edituri, nullum horum fuit officiorum, quin ejus fungendi haec

Phae-

Phaedonis Annotatio nobis frequentem non modo opportunitatem offerret, sed potius necessitatem imponeret. In quo quomodo versati simus docti intelligentesque homines judicent. Nostrum quidem in hac propria censura munus postulat, ut illis aliquid admonitionis ad nostram operam censendam subjiciamus. Idque ejusmodi erit, ut praecipuarum deinceps Annotationum argumenta referamus: recte ne autem an secus haec à nobis tractata sint, ipsorum judicio relinquamus.

P. 2. Personae dialogi, πρόσωπα τοῦ διαλόγου, distinguuntur in πρῶτα et δεύτερα· illa sunt *narrantia*, Phaedon et Echecrates: haec *agentia*, de quibus narratur, Socrates, et caeteri in carcere colloquentes. Nam et dialogi Platonici sunt vel διηγηματικοὶ vel δραματικοὶ: ut monent Plutarchus Sympos. VII, 8, et Diogenes Laertius III, 50. Phaedon est ex utroque genere mixtus.

P. 3. Φαίδων ἢ περὶ ψυχῆς. Alterutro, aut utroque, ut hic, titulo memoratur ab Antiquis: quorum locos sane multos Fischerus laudavit. Nobis satis fuit notasse, hunc praescriptum titulum se commendare Thrasylli auctoritate apud Diogenem Laertium III, 58: et antiquissimos hunc dialogum citantes memorasse, ipsum Platonem Epist. XIII, p. 723, C, quam germanam esse Wesselingius persuadet, et Aristote-

lem Metaph. I, 7: Generat. II, 9: Meteor. II, 7. Epigramma de Panaetio dialogum hunc ſpurium cenſente, nullius auctoritatis, alibi nobis tractandum. Nec valet illud vulgo de Dialogis jactatum è Cicerone Diverſ. IX, 8: *Puto fore ut, cum legeris, mirere nos id locutos esſe inter nos, quod numquam locuti ſumus, ſed noſti morem dialogorum:* nec reprehenſio Athenaei XI, p. 505, E, idem Platoni objicientis, refutati ſua ipſius adverſus hunc invidia et iniquitate. Omnino veriſimile est Socratem de hoc argumento disſeruisſe in carcere cum discipulis: ut monuimus in Disput. de Placito Immortalitatis p. 38 et 39. Olympiodoro debemus notitiam aliorum Phaedonis interpretum, Jamblichi, Syriani, Procli, Harpocrationis, Paterii. Et Galenus librum, nunc perditum, adverſus Platonis hanc diſputationem ſcripſit.

P. 3. Principium Αὐτὸς, ὦ Φαίδων, κ. τ. λ. imitantur Dio Chryſ. Or. VII, et Athenaeus, uterque initio: refert etiam Hermogenes De Method. p. 518.

P. 3. Echecratis et aliorum illo tempore in Graecia Pythagoricorum, ſub finem ſodalitii clarorum, notitia, et urbis Phliuntis cum Pythagora necesſitudo, traditur.

P. 4. Τύχη τις αὐτῷ — συνέβη· ἔτυχε γὰρ κ. τ. λ. Locum animadverterunt Plutarchus Fat. p. 572, B: et Simplicius in Ariſtot. Phyſ.

P.

p. 79, b. τύχης notionem explicantes. Paronomasiae autem venustatem, τύχη — ἔτυχε, imitatus est Achilles Tatius Hist. Amator. I, p. 55, in Addendis notatus, et postea animadversus Eunapius in Proaeresio p. 86: τυχὼν δὲ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φιλοτιμίαν τύχης ἀξίας.

P. 4. De Navi quotannis θεωρίας caussa Delum missa. De verbo καθαρεύειν. De dictione, ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτούς. Ἐπιτήδειοι. Παρῆσάν τινες, καὶ πολλοί γε.

P. 5. τοιούτους ἑτέρους· i. e. *similes*: male quidam ἑταίρους. Notantur qui locos Platonicos hinc duxerunt, Plutarchus, Epistolae Socraticae scriptor, Aristaenetus. Socratis familiares caeteri satis cogniti: non item *Phaedondas* et *Cleombrotus*: de quibus aliquid notitiae adfertur.

P. 6. Aristippus et Cleombrotus, moriente Socrate, in Aegina. Rarior forma ἀνέῳγετο: ὑπακούει janitor, respondet et aperit januam.

P. 7. *Voluptas et dolor eodem vertice suspensi se invicem sequuntur*: sententia multis celebrata. Stobaeus ex MS. suppletus. Ἀνευφημεῖν, *lamentari.*

P. 8. Socrates fabulas Aesopi versibus ligavit, ἐνέτεινε: harum libri tunc fuisse videntur. Prooemium in Apollinem. Evenus poëta. Μουσικὴν ἐργάζεσθαι, hinc à Platonicis frequentatum. Παρακελεύεσθαί τε καὶ ἐπικελεύειν, ὥσπερ

οἱ τοῖς θέουσι διακελευόμενοι. Philofophia, maxima mufica. Ἀφοσιοῦσθαι, *religione defungi.*

P. 9. Poefis fabulam requirit: μῦθος, λόγος, μυθοποιὸς, λογοποιὸς, μυθολόγος, μυθολογικὸς· ποιεῖν, *verfus facere, carmine quid prodere.* Se ipfum interficere, nefas est. Philolai et Lyfidis aetas. Καὶ μάλιστα, *vel maxime.*

P. 13. Δὴ νῦν, *jam nunc:* νῦν δὴ, *modo..* Οὐδέποτε τυγχάνει τῷ ἀνθρώπῳ, ὥσπερ καὶ τἄλλά ἐστιν ὅτε καὶ οἷς, βέλτιον ζῆν ἢ τεθνάναι· fic legendum ex MSS. i. e. *numquam accidit homini, prouti alia negotia nonnumquam et quibusdam bene vel male accidunt, ut melius ei fit vivere quam mori:* totus locus impeditus expeditur: Simplicius Epict. p. 43. eum citans corrigitur. Ἴτω Ζεύς. Ὁ ἐν ἀπορρήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος, est doctrina arcana, non myfteriorum, fed fcholae philofophi. Animus in corpore, ut carcere inclufus, nec inde nifi à Deo liberandus: Pythagoricum placitum. Dei hominum curatores. Θεὸς et θεοὶ, quomodo promiscue dicantur. Sententiae Platonis à pofteris memoratae.

P. 11. Ταῦτα abundans. Πραγματεία, *ftudium.*

P. 13. Ἀλλὰ repetitum brevi fpatio. Ἀποθνήσκειν, καὶ τεθνάναι, *mori, et mortuum esfe:* hoc est Praeteriti Temporis: cognatio verborum δάνω, θάνω, θνάω, θνήσκω, τέθνημι: Plato

to Epicharmum, Platonem Philo imitatus. Simplicius comparatur. Diversa significatio Terminationum, in ἡβάω et ἡβάσκω et similibus verbis. Οὐ πάνυ γέ με νῦν γελασείοντα ἐποίησας γελᾶν, et Eunapius et Damascius arripuerunt: Boeotiorum ἀμουσίαν Olympiodorus notans, Plutarchum descripsit.

P. 14. Τὰς ἡδονὰς καλουμένας τὰς τοιάσδε· insolita compositio pro τὰς καλουμένας ἡδονὰς τ. τ. ex usu Graeco explicatur. Σιτίων τε καὶ ποτῶν — ἀφροδισίων — καλλωπισμῶν· pertinet ad triplex voluptatum genus Veteribus celebratum. Ὑποδημάτων, ad Socratis consuetudinem spectat qui discalceatus degere soleret.

P. 15. *Vitam sine corporis voluptatibus mortis instar esse*, cum aliis Platonis et aliorum dictis comparatur. *Ad scientiae adeptionem corpus animo officere, poetae celebrant*; hi sunt Epicharmus, Xenophanes, Empedocles, Parmenides, quibus Anaxagoras et Democritus addendi: quorum dicta notantur. Λογίζεσθαι Olympiodorus intelligit *colligere* et *seligere*: at hic valet *ratiocinari*, *nexum rerum indagare*: et hoc munus, τὸν λόγον, habet ὁ νοῦς.

P. 16. Ὑπερφυῶς ὡς. Ἄτραπος ἐκφέρει ἡμᾶς μετὰ τοῦ λόγου ἐν τῇ σκέψει, non opus est ex Pythagorica schola repetere.

P. 17. Ὥστε, τὸ λεγόμενον ὡς ἀληθῶς, τῷ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐ-

οὐδέν, redditur: *ut, quod vero proverbio dicitur omnino ne ſapere quidem umquam quidquam propter corpus posſimus*, proverbium intelligitur *οὐδὲ φρονῆσαι ἐγγίγνεται*· notatur formula *τῷ ὄντι* et *ὄντως* in citandis aliorum locis uſurpata. Platonicae ſententiae veſtigia apparent in Cicerone Fin. I, 13, et Jacobo Epiſt. IV, 1. *Τὸ δ' ἔσχατον πάντων ὅτι*, *extremum omnium hoc est, quod —*. *Δέδεικται ἡμῖν*.

P. 18. *Ἴσως*, *veriſimiliter*. *Μὴ καθαρῷ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐ θεμιτόν*· multis celebratum. *Λέγειν καὶ δοξάζειν*. *Ὀρθῶς* pro *ὄντως*. *Ὥσπερ*, *quippe*.

P. 19. *Οὕτω* post Participium abundat. *Διαβεβλῆσθαί τινι*, *odisſe quid*.

P. 20. *Οἴεσθαί γε χρή*. *Mortem timens non est φιλοσόφος*, *ſed φιλοσώματος*, *idemque φιλοχρήματος καὶ φιλότιμος*, vel alterutrum vel utrumque, explicatur ex Platonica doctrina Rep. IX, p. 506.

P. 21. *Δειλίᾳ ἀνδρεῖον εἶναι*. *Κρατούμενον κρατεῖν*. *Καταλλάττεσθαι ἡδονὰς πρὸς ἡδονάς*. *Τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενα κ. τ. λ.* i. e. *ſi prudentia omnia vendantur, et cum hac* (i. e. *prudenter*) *omnia emantur:* Participium pro Infinitivo. *Σκιαγραφία* opponitur *ἀληθείᾳ*· perperam Fabricius voluit *σκηνογραφία*, ad Sext. Emp. Math. VII, 88. *Τὸ δ' ἀληθὲς τῷ ὄντι ᾖ κάθαρσις τῶν τοιούτων πάντων*

καὶ

καὶ ἡ σωφροσύνη καὶ ἡ δικαιοσύνη, καὶ ἡ ἀνδρεία· καὶ αὐτὴ ἡ φρόνησις μὴ καθαρμός τις ᾖ: i. e.: *revera autem certo* (i. e. *ut ostensum est*) *purgatio talium omnium, et temperantia, et justitia, et fortitudo; atque ipsa prudentia vide ne sit purgatio:* virtutes καθαρτικαὶ Veteribus dictae: antiquitas quadripertitae distributionis, postea Stoicis celebratae, in *prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam.*

P. 22. Ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι, Orphicum. Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι· item Orphicum. Dubitatio Socratis de sorte post hanc vitam, est φιλόσοφος εὐλάβεια.

P. 23. Ψυχὴ — ὥσπερ πνεῦμα ἢ καπνὸς διασκεδασθεῖσα οἴχηται ἀποπταμένη. Οὐδὲν οὐδαμοῦ εἶναι. Παραμυθία, *difficultatis in quaestione solutio.* Comici Socratem traducentes. Aristophanes et Eupolis: hujus versus tentatur. *Homines ex alia vita in hanc venire*, ex Orpheo et Empedocle venit, quorum loca ab Olympiodoro allata traduntur. Contraria à contrariis oriri. Παλαιὸς λόγος.

P. 24. Ἔχειν τι, *firmiter perceptum quid habere.*

P. 25, Philoponus notatur. Συζυγία, *par contrariorum.* Χωλὸς, χωλεύειν, *altera parte deficere.*

P. 26. Ἀδίκως et ἀδικεῖν, *temeritas in dis-*

pu-

putando. Ἀνταποδιδόναι τινι, *congruere alicui, respondere.*

Λῆρόν τι ἀποδεικνύναι· item χρυσὸν, σοφόν τινα ἀποδεικνύναι, et fimilia. Οὐδαμοῦ φαίνεσθαι. Endymionis fomnus. Anaxagorae ὁμοῦ πάντα χρήματα.

P. 27. Πάντα καταναλωθῆναι εἰς τὸ τεθνάναι, Epicurus asfumfit. *Discere est reminisci.*

P. 28. Κατηγορεῖ, *apparet.* Αὐτὸ δὲ τοῦτο δέομαι μαθεῖν ἢ, περὶ οὗ ὁ λόγος, ἀναμνησθῆναι· fic, interpofito ἢ, fententia haec efficitur, *id autem ipfum defidero discere, vel requiro reminiscentiam, de qua ipfa nunc loquimur.*

Οὐδὲν μὲν ἂν ἧττον ἀκούοιμι· i. e.: *nihilo tamen minus audire velim:* μὲν ex MSS. mutandum in μέντ' i. e. μέντοι, et Optativus propria *optandi* poteftate accipiendus. *Amantes recordantur amati, fi ejus lyram aut veftem vident,* fententia ab aliis hinc fumta.

P. 29. Αὐτὸ τὸ ἴσον. *notio univerfalis aequalitatis.* τὰ αὐτὰ ἴσα φαίνεται, τοτὲ δ' οὔ, quale fit, exponitur.

P. 30. Αὐτὰ τὰ ἴσα· item est, *notio univerfalis aequalitatis*, quare Plurali numero dicatur, quaeritur. Ταῦτα τὰ ἴσα, *haec aequalia*, demonftrative de rebus fingularibus dicitur. Λέγειν τι ἔν τινι, *aliquid alicui generi annumerare.* Vulgata lectio aliquoties corrigitur.

P. 31.

P. 31. Ὀρέγεται τοῦθ' ὅ ἐστιν ἴσον, legendum τοῦ ex MSS. τοῦ ὅ ἐστιν ἴσον, Platonica ratione dictum pro τοῦ ὄντως ὄντος ἴσου. Ἐπισφραγίζεσθαί τί τινι, *alicui aliquod signum imprimere, nomen imponere.* Ἐν ταῖς ἐρωτήσεσιν ἐρωτῶντες, καὶ ἐν ταῖς ἀποκρίσεσιν ἀποκρινόμενοι, i. e. *disputantes.* Ἐρωτᾶν, *argumentari.*

P. 32. Εἰδέναι et λήθη definiuntur. Rursus αὐτά ex MSS. mutandum in ταῦτα, i. e. *res singulares.*

P. 33. Ἀπόλλυμεν δὲ αὐτὰς ἐν ποίῳ ἄλλῳ χρόνῳ — χρόνον, sensus aperitur hic: *non possumus istas notiones accipere nascentes; quia nascentes eas perdimus: nec potes aliud tempus excogitare, quo eas perdamus:* huc accommodatur Olympiodori scholion.

P. 34. Ὅπως, cum Indicativi Praesente vel Perfecto v. c. *ut hoc fiat.* Discrimen inter εἰ et ὅτι· v. c. *demonstrare, hoc ita esse:* et *d. an ita sit.*

P. 35. Ἀναπείθειν, *aliam cui sententiam persuadere.* Ὁ ἐν ἡμῖν παῖς, *pars nostra rationis expers*, hinc aliis frequentatum, et in Addendis a nobis notatum. Μορμολύκειον. Ἐπᾴδειν et ἐπῳδὴ *docendo*, Platoni frequens: sic ἐξᾴδειν, *excantare*, rarissimum, eidem restitutum in ἐξᾴσηται pro ἐξιάσηται.

P. 36. Ὅθεν δὲ ἀπελίπομεν, ἐπανέλθωμεν. Εἴ σοι ἡδομένῳ ἐστίν· *si tibi placet.* Πῶς γὰρ

οὐ μέλλει; *Quidni?* Συντεθὲν, σύνθετον, συνθετὸν, differunt: et ſic alia Participia Paſſivi et Adjectiva Verbalia. Διαιρεθῆναι ταύτῃ ἧπερ συνετέθη. Ἡ οὐσία ἧς λόγον δίδομεν τοῦ εἶναι· *esſentia, quam definimus per esſe.* Λόγος, *definitio.* Κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχειν. Οὐδέποτε οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἀλλοίωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται· conſuetudo Platonica augendae negationis, et in affirmatione uſus literae π obſervatur.

P. 37. Ὁ τῆς διανοίας λογισμός. Ἄλλό τι ἡμῶν αὐτῶν, ἢ τὸ μὲν σῶμά ἐστι, τὸ δὲ ψυχή, i. e. *nostrum autem ipſorum altera pars aliudne quid est quam corpus, altera vero anima?* Τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ μὴ, τῇ τῶν ἀνθρώπων φύσει ἐλέγομεν· i. e. *viſibilia et inviſibilia dicebamus ea, quae humanae naturae viſibilia et inviſibilia esſent.*

P. 38. Ψυχὴ — ἰλιγγιᾷ. Φρόνησις πάθημα, et in Addendis. Ὅλῳ καὶ παντί. Natura animum ad imperandum, corpus ad obediendum fecit.

P. 39. Συμβαίνει, conſequitur quid in argumentatione. Νοητὸς et αἰσθητὸς active, *cogitandi* vel *ſentiendi vim habens*, pro νοητικὸς, αἰσθητικός. Χαριέντως ἔχειν τὸ σῶμα· *corpore bene affecto esſe.* Dacierii error, qui ſolus animadvertisſe ſibi viſus est, Socratem menſe Julio obiisſe. Corpus συμπίπτει.

P. 40.

P. 40. Ἅιδης, ἀγαθὸς καὶ Φρόνιμος θεός. Philoſophia est exercitatio moriendi. Ἄγριοι ἔρωτες, paederastiae. Ἀνθρώπεια κακά· hinc Cicero Tusc. I, 30, *humanis vitiis.*

P. 41. Διαλαμβάνω, *vincio*, *ligo*. Ψυχὴ περὶ τὰ μνήματα καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη, hinc aliis frequentatum.

P. 42. Metempſychoſis varie à Platonicis informata. Φιλοτησία, *propinatio benevola.* Virtutis quatuor gradus: quarum infimus, virtus civilis. Mendum vetus transponendo ſanatur ſic: εἰς δέ γε θεῶν γένος μὴ οὐ θέμις ἀφικνεῖσθαι ἄλλῳ ἢ τῷ Φιλομαθεῖ Φιλοσοφήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῶς ἀπιόντι. Explicatur vis et ratio Φιλομαθοῦς et Φιλοσόφου, Φιλομαθίας et Φιλοσοφίας. Οἰκοφθορία, *rei familiaris jactura.*

P. 43. Ἔπειτα, Participiis ex abundanti ſubjungi ſolet. Σώματα πλάττοντες ζῶσι.

P. 44. Ἐν ἄλλοις ὂν ἄλλο. Ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα, προσηλοῖ (τὴν ψυχὴν) πρὸς τὸ σῶμά καὶ προσπερονᾷ· Platonica ſententia posteris celebrata.

P. 45. Οὐ γάρ· ἀλλά —, et Οὐ γὰρ ἀλλά, differunt. Πηνελόπης τινα ἐναντίως ἱστὸν μεταχειρίζεσθαι. Τροφὴ ψυχῆς, vel δοξαστὴ vel ἀδόξαστος. Οὐδὲν δεινὸν μὴ Φοβηθῇ· i. e. *non est periculum, ne timeat.* Πρός τινι εἶναι, *ali-*

quid secum cogitare: Ἰδεῖν ἐφαίνετο, *visu apparebat:* pleonasmus.

P. 46. Μῶν μὴ, *an non?* mutandum monetur in μῶν πῃ, *an aliqua ratione?* Λεχθῆναι, *dictum esse:* positum pro ἂν λεχθῆναι, *dici potuisse:* ἂν possibilitatem significans, subinde omittitur. Ἑκάτερος ἀπορῶν, τὸν ἕτερον προωθεῖ καὶ κελεύει ἐρέσθαι· imitati sunt Aristaenetus I, 24, et Damascius ap. Suid. v. Ἡραΐσκος. *Cycnos, Apollini servos, suos conservos, ante mortem canentes, imitatur Socrates:* locus ab aliis memorando nobilitatus.

P. 47. *Discere, invenire, divinitus accipere,* tres sunt ad cognitionem viae. Ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας ὀχεῖσθαι τοῦ λόγου· *argumento, tamquam rate, vehi.* Λόγος θεῖος.

P. 48. *Animam esse tamquam harmoniam corporis tensi calore, frigore, humore, siccitate,* Zenonis Eleatae et aliorum opinio.

P. 49. Διαβλεψάμενος — καὶ μειδιάσας. Προσᾴδειν, *accinere,* i. e. aliquid rationis disputationi conferre.

P. 50. Ἀνατίθεμαι, *retracto.* Ἐπαχθὲς εἰπεῖν, *dictu molestum.* Φαίη ὁ λόγος, *dicat ratio.*

P. 51. Ἀνυφαίνειν. Τὴν φύσιν τῆς ἀσθενείας, dictum pro τὴν ἀσθένειαν τῆς φύσεως· item, ἡ φύσις τῶν ἄστρων, pro τὰ ἄστρα. Enallage Generis et Subjecti.

P. 52.

P. 52. Dialogi à fecundis perfonis ad primas digresfio infignem habet vim.

P. 53. *Sedens in fella juxta recumbentem in lecto:* imitatur Plutarchus. Χαμαίζηλος, *humilis fella.* Καταψᾶν τὴν κεφαλήν τινος, *caput cui demulcere.* Capillum in luctu tondendi, mos Graecorum. Eorumdem fuisfe in luctu, ut capillum viri alerent, mulieres tonderent, Meurfius non perfuadet. Οὐκ, ἄν γ' ἐμοὶ πείθῃ. Εἰ σὺ εἴην, *fi tu esfem.* Argivorum jusjurandum, Thyrea amisfa, capilli non alendi donec illam recuperasfent. Similia aliorum populorum facta. Ἀναμάχεσθαι. Πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς· proverbium.

P. 54. Εὐλαβηθῶμεν τὶ πάθος μὴ πάθωμεν. Τὸ ποῖον; ἦν δ' ἐγώ. Dialogi formula frequens Platoni. Μισολογίας et μισανθρωπίας, cognata origo. Ἑταιρότατος. Οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς παντάπασιν. *Homines optimi et pesfimi, funt paucisfimi: plurimi mediocres.*

P. 55. Locus mutilus expletur probabili conjectura. Ἀντιλογικοὶ philofophi, qui dicantur. Ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ· proverbium.

P. 57. Ὥπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι. Ἀλλ' ἰτέον. Ἀναγκαίως ἔχει.

P. 58. Ἀποδέχεσθαι ἑαυτοῦ τι λέγοντος. Ἀπόδειξις, εἰκότες λόγοι, εὐπρεπεῖς· *demonftratio, argumenta verifimilia, fpeciofa,* di-

ſtinguuntur: ἀλαζὼν λόγος, *vanum argumentum*, *mendax*. Δι᾽ ὑποθέσεως.

P. 59. Τῇδε δοκεῖ σοι — primum vocabulum delendum cenſetur, et ſententia jubente, et codicum asſenſu.

P. 61. Eadem auctoritate reſtituitur: πότερον συγχωροῦσαν τοῖς κατὰ τὸ σῶμα παθήμασιν, ἢ καὶ ἐναντιουμένην, pro inficeto, π. σ. τ. κ. τ. σ. πάθεσιν ἢ κ. ἐν. τοῖς παθήμασι. De ψυχῆς tribus partibus, λόγῳ, θυμῷ, ἐπιθυμίᾳ disſidentibus, et λόγου imperio, cui accommodatur Homericum Στῆθος δὲ πλήξας κ. τ. λ. comparatur Plato Rep. III, p. 434, IV, 453, cum ſequentibus Platonicis.

P. 62. Quae ſit harmonia, quam ab animi natura Plato abjudicet: Ariſtotelis et aliorum cum Platone conſenſus. *Harmonia Thebana* et *Cadmi*, quae dicantur. Θαυμαστῶς ὡς. Μὴ μέγα λέγε, μήτις ἡμῶν βασκανία περιτρέψῃ τὸν λόγον· proverbii vim habent: hinc *faſcinus*, et *praefiſcine*.

P. 63. Duo Phaedonis loci mendoſi corriguntur.

P. 64. Pars τῆς σοφίας, ἣν δὴ καλοῦσι περὶ φύσεως ἱστορίαν· i. e. *phyſica*. Σηπεδὼν, *putredo*, ſignificatur *concoctio cibi*. *Sanguine*, *aëre*, *igne*, *an cerebro cogitemus*; quibus ſingula philoſophis tribuenda ſint. Anaxagorae homoeomeria ſignificatur.

P. 65.

P. 65. Graeca bis emendantur: primum, μεῖζον εἶναι αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, καὶ ἵππος ἵππου· i. e. *major illo esse per caput, et equus item equo major esse*, alterum deinde sic expletur, οὐδὲ ὡς, ἐπειδὰν ἑνί τις προσθῇ ἕν, ἢ τὸ ἕν, ᾧ ἓν προσετέθη, δύο γέγονεν· ἢ τὸ προστεθέν· ἢ τὸ προστεθὲν καὶ ᾧ προσετέθη, διὰ τὴν πρόσθεσιν τοῦ ἑτέρου τῷ ἑτέρῳ δύο ἐγένετο —· nam in hac hypothesi tres hi modi intelligun-tur, quibus ex duobus duo fiant. Ἑνὶ λόγῳ· *uno verbo, omnino.*

P. 66. Locus obscurior ad perspicuitatem redigitur, accipiendo φύρω potestate Praeteriti, et sequenti Ἀλλὰ pro *Nam, Nimirum.* Κατὰ νοῦν ἐμαυτῶ, acutae est ambiguitatis.

P. 67. Ὁρῶ ἄνδρα· *Video hunc virum:* vel, *video aliquem virum:* uterque exquisitior usus illustratur. *Anaxagoras, quamvis* Νοῦν *creatorem, certe ordinatorem, inducens, tamen caussas rerum naturalium aliunde repetebat*: adferuntur alia insuper testimonia, Platonis, Aristotelis, Plutarchi, Plotini, Clementis Alexandrini, Simplicii, aliorum.

P. 68. Τὸ γὰρ μὴ διελέσθαι οἷόν τ' εἶναι —. corrigitur, τὸ δ' ἄρ' ἦν μὴ δ. οἷ. τ. ε. *hoc autem erat, non posse distinguere.* Ψηλαφῶντες οἱ πολλοὶ, ὥσπερ ἐν σκότει ἀλλοτρίῳ ὄμματι προσχρώμενοι: dictum cum similibus comparatur· ὄμματι dubium, aliis ὀνόματι praebentibus.

bus. Ὁ *μέν τις δίνην περιτιθεὶς τῇ γῇ ὑπὸ τοῦ οὐρανοῦ, μένειν ποιεῖ τὴν γῆν·* i. e. *alius quidem turbinem circumdans terrae, quo coelum eam vertat, ſtabilem ſcilicet eam facit:* interpretibus non intellectum, explicatur è grammatica ratione: et placitum refertur, ad Leucippum, Democritum, Anaxagoram. Ὁ *δὲ, ὥσπερ καρδόπῳ πλατείᾳ, βάθρον τὸν ἀέρα ὑπερείδει·* feſtivitas dictionis notatur, ſententia Anaximeni tribuitur.

P. 69. *Ἄτλαντα ἰσχυρότερον — ἐξευρεῖν·* ſpectarunt hoc Ariſtoteles Coel. II, 1: Philoſtratus Icon. II, 20. Ἀγαθὸν dicitur *δέον*, quia *δεῖ*, *ligat*, omnia et continet. *Δεύτερος πλοῦς.* Ἐπίδειξιν *ποιεῖσθαί τινος*, à Socrate in Sophiſtas ſignificatum. *Solem deficientem, ſi in ipſo, nec in aqua, ſpectamus, excaecamur,* comparatio ex hoc fonte ad alios fluxit.

P. 70. *Οὐκ ἂν φθάνοις περαίνων.* Ἀτεχνῶς, *revera: ἀτέχνως, ſine arte.*

P. 71. Εἴτε *παρουσία, εἴτε κοινωνία, εἴτε ὅπῃ δὴ καὶ ὅπως προσγενομένη·* Platonica forma, in qua quis *προσαγορευομένη* exſpectaverit. Τέρας, *monſtrum in disputando.*

P. 72. Μέγα *βοᾷν.* Μετέχειν et *μέθεξις*, qua res ſingulares participes ſunt ideae univerſalis. Imitatio Euripidea, *τὰς τοιαύτας κομψείας ἐῴης ἂν χαίρειν παρεὶς ἀποκρίνασθαι τοῖς σεαυτοῦ σοφωτέροις. Suam ipſum umbram time-*

mere: proverbium. Ἔχεσθαί τινος, *apprehendere quid, et alicui adhaerescere*, eodem loco bis diverſa notione poſitum, ut alia alibi. Εἴ σοι ἀλλήλοις ξυμφωνεῖ ἢ διαφωνεῖ. i. e. *utrum, te judice, invicem conſentiant, an disſentiant:* in σοὶ Dativus Atticus notatur. Disputandi rationis praeceptum dialecticum explicatur. Ἄνω, ἄνωθεν, *univerſaliter:* κάτω, *particulariter.* Varia ſignificatio vocabulorum εἶδος, ἰδέα, diſtinguitur in notionibus univerſalibus: ſub his μετουσία et ἐπωνυμία tribuitur particularibus.

P. 73. Corrigitur: τῷ μὲν, τῷ μεγέθει ὑπερέχειν, τὴν σμικρότητα παρέχων· τῷ δὲ τὸ μέγεθος, τῆς σμικρότητος ὑπερέχον· i. e. *illi quidem, quia magnitudine illum ſuperat, parvitatem praebens: huic autem magnitudinem, quae parvitatem ſuperat..* Συγγραφικῶς ἐρεῖν, refertur ad ſcriptores civiles, id est oratores, quos Plato exagitare ſolet.

P. 74. Θέλειν et τολμᾶν, *posſe pati..* Argumentationis ratio grammatica exponitur. Ἀνδρικὸς, ἀνδρεῖος, *diligens in vero quaerendo.*

P. 75. Εἶδος et μορφὴ a philoſophis diſtinguuntur. Eudori apud Stobaeum Phyſ. p. 30. caput notatur.

P. 76. Πεμπτὰς, πεμπὰς, πεντὰς, *numerus quinarius.* Ὁ ἥμισυς τοῦ ἀριθμοῦ ἅπας· et ὁ ἕτερος στίχος τοῦ ἀριθμοῦ· i. e. numeri pares,

 qui

qui duabus utrique diverſis lineis adſcribi ſolebant.

P. 78. Ὧι ἂν τί ἐν τῷ σώματι ἐγγένηται, θερμὸν ἔσται; i. e. *quanam re in corpus aliquod incidente, id corpus calidum erit?* conſtructionis forma exemplis illuſtratur. Plato ſibi falſo commento progresſum demonſtrationis à posſe ad esſe fingit. Δέχεσθαι et ἐπιφέρειν ἰδέαν, in hac materia uſitatum: et 79.

P. 79. Diſtinguuntur ἀθάνατον, ἀνώλεθρον, ἄφθαρτον, ἀΐδιον. Boëthi ἐμψυχία ex Porphyrio, Simplicio, et Olympiodoro notata.

P. 80. Ψυχὴ ἂν εἴη, πρὸς τῷ ἀθάνατος εἶναι καὶ ἀνώλεθρος· i. e. *anima praeterquam quod immortalis est, etiam interitus expers ſit.* Anima, ut Deus, e vitae idea, immortalis ſtatuitur à Platone: posſe et esſe confundente. Hinc ſua ſumſit Augustinus De Immort. Anim. §. 14—16: tractat Porphyrius, qui emendatur ap. Stob. Phyſ. p. 820.

P. 81. Τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν ἀτιμάζων· i. e. *humanam imbecillitatem tantae rationum magnitudini perſpiciendae imparem judicans*, ſimilibus dictis illuſtratur. Χρόνος ἐν ᾧ καλεῖται τὸ ζῆν· i. e. *tempus, quo haec, quae dicitur, vita continetur:* dicendi forma confirmatur conſuetudine Scriptorum. *Si mors esſet interitus et privatio omnis ſenſus, lucrum adferret malis hominibus morientibus:* effatum à poſteris celebratur. *Mala ex reliquo mundo relegata*

cir-

circum terram versantur; igitur quantocyus hinc fugiendum: Platonicum placitum. *Anima ad inferos abiens nil secum adfert quam* τροφὴν καὶ παιδείαν, i. e. *institutionem ac disciplinam, quam in hac vita accepit:* item ex Platonis fonte alii duxerunt. Τροφὴ de *corporis cura*, παιδεία de *animi doctrina* usurpatur: quibus saepe tertia additur ἀγωγὴ, *educatio.*

P. 82. Μῦθος de Inferis: similes alii Platonis et aliorum: poëtarum νεκυίαι. Daemon quemque nascentem sortitus, et mortuum apud Inferos ducens, quis à Platone significetur. Διαδικάζεσθαι. Aeschyli Telephus dixit, ἁπλῆν οἶμον εἰς ᾅδου φέρειν. Θυσιῶν τε καὶ νομίμων· codices dant ὁσίων τ. κ. ν. i. e. *justa funebria.* Οὐκ ἀγνοεῖν. Ξυνέμπορος.

P. 83. De Terrae forma et partibus docuerant Physici et Geographi: erant πίνακες tabulae geographicae. Γλαύκου τέχνη, proverbium. Terra paritate ponderis et rotunditate sua se sustinet in medio coeli immota: quam ab Anaximandro proditam opinionem postea deseruit Plato: et hinc quoque colligitur Phaedonem ab ipso juvene scriptum esse. Prima vestigia decreti de gravitate, seu *vi centripeta.* Scholion MS. ad Hesiodi Theogon. 116, tractatur. Librarii veteres saepe confuderunt ἐν Φαίδωνι et ἐν Φαίδρῳ.

P. 84. Οἰκουμένη nostra censebatur regionibus

bus circum mare jacentibus à Columnis Herculeis usque ad Phasidem: postea ad Indiam. Circum hoc mare habitamus ut formicae aut ranae circum paludem. Terrae coelestis purae in puro jacentis coelo imaginem ab Anaxagora sumsit Plato. Τὸ δὲ εἶναι ταυτὸν τῷ ὑπ' ἀσθενείας καὶ βραδυτῆτος οὐχ οἵους εἶναι ἡμᾶς διεξελθεῖν ἐπ' ἔσχατον ἀέρα· sic legendum interposito τῷ· i. c. *hoc autem idem esse ac nos propter tarditatem et infirmitatem ad summum aërem pervenire non posse.*

P. 85. *Ut pisces in maris superficiem exsiliunt, ita homines in aeris summitatem extollere se debent ad coelestem terram conspiciendam:* aliorum imitatione frequentatum dictum. Οὔτε φύεται ἄξιον λόγου οὐδὲν ἐν τῇ θαλάττῃ οὐδὲ τέλειον· quomodo intelligendum sit. Δωδεκάσκυτοι σφαῖραι, referuntur ad Dodecaedrum, cui Plato figuram mundi comparavit.

P. 86. Ἀνάλογον pro ἀνὰ λόγον. Coelestis Terrae lapides pretiosi, colores, natura, ex illo Platonicarum opinionum genere censetur, quod late ad posteros dimanavit. Θέαμα εὐδαιμόνων θεατῶν est eadem Terra.

P. 87. In ea τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι, καὶ φήμας τε καὶ μαντείας καὶ αἰσθήσεις τῶν θεῶν. Totius Terrae tres partes, supera coelestis, media, infera orcus: media, hominum

rum et animalium, breviter memoratur: duae reliquae amplam habent descriptionem, universe verisimilitudinis physicae et mythologicae; quibusdam locis tamen ne huic quidem satis congruentem praesertim in parte de orco et quatuor fluviorum cursu: de quibus judicat Aristoteles Meteor. II, 2. Quatuor genera lacunarum Terrae explicantur.

P. 88. 'Ο Ῥύαξ. Αἰώρα, libramentum aquae infernae, cujusmodi significetur. Homericum Τῆλε μάλ' Iliad. Θ, 14. Aqua illa αἰώρας nec fundum nec fundamentum habet. Ὅτάν τε οὖν ὁρμήσαν ὑποχωρήσῃ τὸ ὕδωρ — ἐπαντλοῦντες· quomodo accipiendum sit declaratur, mutato τοῖς in τότε, solemni librariis literarum permutatione.

P. 89. Καταντικρὺ ᾗ εἰσρεῖ ἐξέπεσεν· i. e. *è regione effluunt ejus loci, per quem influunt:* nisi, judice Aristotele, repugnans futurum sit; intelligenda cum Forstero opposita puncta non *diametri* sed *subtensae.* Legendum porro ex norma Atticismi κ. ᾗ ἢ. εἰσρεῖ ἐξ. — Quatuor fluvios Orci ab Homero suscepit: quos cum Orphica doctrina conciliant Proclus et Olympiodorus.

P. 90. Ἀναβάντες ἃ δὴ αὐτοῖς ὀχήματά ἐστιν· *conscendentes ea, quae scilicet ipsis sunt, vehicula:* ὀχήματα, *vehicula*, non intelligenda indumenta animis propria, quasi tunicae:

cae: ſed *navigia*, ex fabulae veriſimilitudine.

P. 91. *Inſanabiles quosdam esſe et per omnem aeternitatem ſine fine puniri*, in myſteriis et à poetis traditnm, retentum à Platone e aliis in νεκυίαις, propriae tamen ipſius doctrinae repugnat. Impietas natorum in parentes punita apud Inferos in Polygnoti tabula de Uliſſis deſcenſu ad Inferos ap. Pauſan. X, 28. Διαφερόντως πρὸς τὸ ὁσίως βιῶναι, *egregie ad ſanctitatem vixisſe*, ſanum cenſetur.

P. 92. Καλὸν τὸ ἆθλον καὶ ἡ ἐλπὶς μεγάλη· imitantur alii. Ταῦτ' ἐστὶν ἢ τοιαῦτα ἅττα· Πλέον θάτερον ἀπεργάζεσθαι· quaſi *alterum plus efficere*, i. e. *plus mali quam boni facere*, exemplis illuſtratur, ex uſu nomini ἕτερος, ἑτέρως: *alius*, *ſecus*, i. e. *malus*, *male*, repetitur.

P. 93. Tragici dictum, ἐμὲ δὲ νῦν ἤδη καλεῖ — ἡ εἱμαρμένη. *Socrates ante mortem ſe lavans*, quam rationem ſecutus ſit. Οὐ πείθω — Κρίτωνα κ. τ. λ. Αὐτὸς, *ipſe* quilibet, est ejus *animus*, non *corpus*, ſecundum quidem philoſophos: et ſic Plato Leg. XII, p. 693. B, C. Accius Cic. Tusc. I, 43: Lucilius apud Nonium p. 330; qui tentantur: alia in hanc rem dicta Select. Gr. p. 455.

P. 94. Socrati morienti tres fuerant filii: nec duas habuit eodem tempore uxores: et quae ad eum venerunt poſtremo ſalutatum οἰκεῖαι γυναῖ-

ναῖκες, non fuerunt *uxores*, fed *mulieres domesticae*, *familiares*.

P. 95. De cicuta ad potum praeparanda, vel *terendo*, vel alio modo. Tempus legitimum bibendae cicutae, quum fol montes reliquisfet. Trium deinceps dierum optionem ad bibendum condemnato datam fuisfe, quod tradit Scriptor apud Stobaeum Flor. p. 19, fingulare est. Πίνοντας, *bibere folitos*.

P. 96. Φειδόμενος οὐδενὸς ἔτι ἐνόντος· imitatio Hefiodi O. D. 367. Πείθου καὶ μὴ ἄλλως ποίει· formula Platonica. Pota cicuta, obambulandum erat, donec gravitas cruribus accideret. Καὶ ὃς λαβὼν — ἐξέπιε· alii hinc fumferunt. Οὐδὲν διαφθείρας οὔτε τοῦ χρώματος οὔτε τοῦ προσώπου, explicatur: ἐπισχόμενος, i. e. *admovens*, fcil. *poculum ori*.

P. 97. Ἀστακτεὶ ἐχώρει τὰ δακρύα, *lacrymae ubertim ibant*. Οὐδένα ὅντινα οὐ κατέκλαυσε, *neminem non deploravit*; Attica compofitionis proprietas. Ἐν εὐφημίᾳ χρὴ τελευτᾷν, Pythagoricum praeceptum. Πηγνύοιτο Stephano corrigente, accedentibus codicibus fcriptis, pro vulgato πήγνυτο receptum. Οὗτος ὁ δοὺς τὸ φάρμακον, annotatoris additamentum, et aliis animadverfum. Τὸ ἦτρον. Socratis ultima vox, τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα, ab ejus pofteris reprehenforibus agitata, vindicatur.

P. 98.

P. 98. Evoluti Socratis habitus non dilucide descriptus; intercidentibus fortasse aliquot verbis, sic restituendis: Ταῦτα ἐρομένου αὐτοῦ, οὐδὲν ἔτι ἀπεκρίνατο· ἀλλ' [ἐνεκαλύψατο αὖθις· καὶ] ὀλίγον χρόνον διαλιπὼν ἐκινήθη τε, καὶ ὁ ἄνθρωπος ἐξεκάλυψεν αὐτόν· καὶ ὃς τὰ ὄμματα ἔστησεν· i. e. *haec interrogante Critone, nihil amplius respondit Socrates, sed se involvit rursus: et paulum temporis intermittens commovit se: et homo eum evolvit: et Socrates oculos fixerat:* i. e. *fixis oculis apparebat.* Συλλαμβάνειν *mortuo labia et oculos*· dictio et mos illustratur: Artemidorus in ea corrigitur II, 2. De Socrate dicitur, ἀνδρὸς — τῶν τότε, ὧν ἐπειράθημεν, ἀρίστου· legendum πώποτε pro τότε· i. e. *viri, eorum, qui umquam fuerunt, quos cognoverimus, optimi.*

Hae igitur fuerunt deinceps ad paginas Exempli Graeci Annotationum, nec omnium illarum, sed praecipuarum, summae, brevissime tamquam punctis notatae, omittendis locis Scriptorum in testimonium adhibitis, ipsisque explicitis vel emendatis: pluribusque rerum verborumque animadversionibus. Quam totam materiam cum Prolegomenorum tum Annotationum quo magis ut hominibus Literarum studiosis ad recognoscendi usum et facilitatem accommodaremus, per quatuor *Indices* digestam, quasi in compendio subjecimus: quorum Primus est *Scri-*

Scriptorum veterum et recentiorum, qui notantur, vindicantur, emendantur, illustrantur: Secundus, *Historicus et Geographicus hominum et rerum:* Tertius, *Rationis grammaticae et verborum Latinorum:* Quartus, *Vocabulorum Graecorum in Annotatione explicitorum.*

Neque committere voluimus ut *Index* desideraretur, quo *Errata Operarum* notata exstarent. Quae *Errata* fortasse multa cui videantur: re tamen pauca sunt: et pauciora quam aliarum quarumvis, vel emendatissimarum, editionum, pari versuum in numero, errata esse solent. Continentur enim haec fere leviori genere, quod neminis cujusquam mediocriter docti intelligentiam moretur, singulari elemento, apice, accentu, spiritu, commate, puncto, eorumque absentia: quae ne in omnibus quidem exemplaribus apparet; quippe orta non quod typus omitteretur ipse, sed quod atramento vel pinguius vel tenuius inficeretur, itaque chartam aut non signaret, aut macularet. Quod maxime propter minutiorem formam in Annotatione accidit; ut correctores quamvis acute videntes et attenti: fuerunt autem praeter me J. Bakius et G. H. Moserus: subinde quid expressum esset, dignoscere non possent et aliquoties ut mendosum corrigerent. Talium, in aliis Erratorum Indicibus vulgo neglectorum notatio

F huic

huic libro laudem emendatae fcripturae diligentisque correctionis adeo non detrahit, ut etiam augeat et confirmet. Debuimus autem hunc Indicem induftriae Guilielmi Lodovici Wasfenarii Cattoviceni, discipuli noftri ad egregiam Literarum fpem fcientiamque crescentis, cujus de laudibus diximus p. 337.

Quod fi hanc noftram cenfuram ejusmodi adhuc fecimus, ut lectoribus Phaedonis nec inutilis nec injucunda futura esfet; certe reliquam ejus partem iis gratam fore fperamus. Nam adjectis demum illis Addendis, quae exftant noftrae editionis p. 335—338, factum est, ut adverfaria pleraque noftra quondam et nuper è Graecis fcriptoribus facta, denuo percurrentes, locos haud paucos animadverteremus appofitos illos ad Annotationem aliquantum illuftrandam et locupletandam; quosque idcirco, ut huic noftrae cenfurae debitos, in eâ expromeremus.

ANNOTATIONIS ADDENDA.

P. 109. Epigramma Incerti, de Panaetio temere Phaedonem dialogum non à Platone fcriptum cenfente, exftat Anthologiae Brodaei I, 44, p. 94:

Εἴ με Πλάτων οὐ γράψε, δύω ἐγένοντο Πλάτωνε
Σωκρατικῶν ὀάρων ἄνθεα πάντα φέρω.

'Αλ-

Ἀλλὰ νόθον μ' ἐτέλεσσε Παναίτιος, ὅς ρ' ἐτάλασσε
Καὶ ψυχὴν θνητὴν, κἀμὲ νόθον τέλεσσαι.

Hujus Epigrammatis auctorem facit Syrianum philoſophum Anonymus Interpres MS. in Ariſtotelis Categorias p. 28. cujus verba, quamvis corrupta, ſic apponenda ſunt: Συριανὸς μὲν ὁ φιλόσοφος ἐπέγραψε τῷ Φαίδρῳ νοθευομένῳ ὑπό τινος Παναιτίου· εἰ μὲν Πλάτων ἐπέγραψε, δύο ἐγένοντο Πλάτωνες σωκρατικὸν γὰρ· ὧν ἄνθεα πάντα φέρω· ἀλλὰ νόθον μ' ἐτέλεσε Παναίτιος ὃς ἐτέλεσε καὶ ψυχὴν θνητὴν καὶ μὲ νόθον τελέσαι· Ἐγὼ δὲ φῆμι ὁ ὑμέτερος διδάσκαλος, ἐπιγράφω ταῖς Κατηγορίαις· εἰ μὴ Ἀριστοτέλους ἐγενόμην, ἢ δίπλοος οὕτως, ἢ σοφίην ἀκάρηνον ἐδείματον ὄσφιν ἐμεῖο· De hoc Interprete Categoriarum Ariſtotelis, adhuc ignoto, à nobis nuper inter libros MS. Voſſianos primum animadverſo, diximus in editione noſtra Phaedonis p. 336. Hinc igitur et de hujus Epigrammatis auctore diſcimus: et praeterea altero augemur, ſic legendo:

Εἰ μὴ Ἀριστοτέλους γενόμην, ἢ δίπλοος οὗτος,
Ἢ σοφίην ἀκάρηνον ἐδείματο νόσφιν ἐμεῖο·

i. e. *Niſi Ariſtotelis ſum, hic aut duplex eſt, aut ſine me ſapientiam condidit capite carentem.* Quod interpres bis poſuit ἐπέγραψε, utro-

utroque loco ſignificare voluit *Epigramma fecit.* Syrianum autem, Procli magiſtrum, in Phaedonis interpretibus numerat Olympiodorus, ut notavimus p. 110. Verbum φῆμι compendio ſcriptum φῆ, transverſa lineola ducta per inferiorem partem literae φ, poſſit quidem eſſe φησὶ, ut proximum ὑμέτερος mutandum ſit in ἡμέτερος, et ſcriptor ſuum magiſtrum laudet: quod ſolet fieri in Olympiodori et aliorum Graecorum Interpretum in Platonem et Ariſtotelem Commentariis. Sed de hoc novo Anonymo alias uberius dicemus. Quod autem ad praeſens in Phaedonem Epigramma attinet, habet ſane frigidam et repetitionem in ἐτέλεσσε — τέλεσσαι, et paronomaſiam in ἐτέλεσσε et ἐτάλασσε: ipſum autem τελεῖν ſignificatione *judicandi*, *cenſendi*, *ſtatuendi*, novum est. Nam τελεῖν εἰς τοὺς νόθους, paſſive quidem dici poteſt *cenſeri inter ſpurios*, ut συντελεῖν ε. τ. ν. quod legitur pluribus locis ab J. Meurſio allatis in Athenis Atticis II, 2, p. 73; ut Scriptor per innovationem verbum hoc pro *cenſere* poſuiſſe videatur, i. e. *facere cenſeri:* quae enallage ſignificationis in aliis quoque verbis reperitur. Prius diſtichon non caret elegantia. *Si Plato me non ſcripſit, duo fuere Platones: Socraticorum flores ſermonum omnes gero.* Sed poſterius claudicat, non librarii, ſed ſcriptoris culpa. Et huic omnino ſuam ſcripturam relinquam

quam, nec, quod Brunckius fecit, ultimo verſu ſcribam, *καὶ ψυχὴν θνητὴν καὶ νόθον ἐκτελέσαι*, ut ſcilicet tautologia vitaretur: quae aut concedenda est reliquae duritiei diſtichi, aut interpretando excludenda, ut *καὶ* — *καὶ* pro *ὡς* — *οὕτως* accipiatur: qui uſus ſubinde valet, et animadvertitur ab Hoogeveenio Doctrin. Particul p. 534, et 544, item in *οὐδὲ* — *οὐδὲ* a nobis Biblioth Crit. XII, p. 67. Itaque ſententia ſic intelligenda, *Qui auſus est, ut animam mortalem, ſic me ſpurium cenſeret.* Porro *Φαίδρῳ* pro *Φαίδωνι* ſcriptum, ſolemni librariorum temeritate. Nec illud negligendum, quod dicitur *ὑπὸ Παναιτίου τινος*, *à Panaetio quodam*, neque per contemtum dici potuiſſe neque à Syriano, neque ab hoc Anonymo, quorum neuter eâ fuit doctrinae inopia ut Panaetii laudes et praeſtantiam ignoraret. Itaque accipiendum *à quodam qui item, ut Panaetius, et animum mortalem ſtatuit, et Socraticorum dialogorum cenſuram agere voluit.* Panaetius enim, ut conſtat, utrumque fecit; nec tamen Phaedonem ad ſpurios aut retulit, aut referre omnino potuit. Fortaſſe potuit etiam ſcriptor Epigrammatis in errorem inductus fuiſſe male intellecto Grammatici alicujus dicto perhibentis Panaetium de Phaedonis et aliorum quorumdam Socraticorum dialogis judicaſſe; ut adeo Phaedonem philoſophum pro Phaedone dia-

dialogo acciperet. Qualis est locus Diogenis Laërtii II, 64, τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεῖς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφῶντος, Ἀντισθένους, Αἰσχίνου· διςάζει δὲ περὶ τῶν Φαίδωνος καὶ Εὐκλείδου· τοὺς δὲ ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας. Videtur hoc Epigramma ex eorum numero esse, quem undique ex posteriorum etiam philosophorum commentariis collegerunt Agathias et Constantinus Cephalas.

P. 113. Τύχη — ἔτυχε —] Exemplum hujus paronomasiae, praeter illud ex Achille Tatio notatum p. 335, legimus etiam in Eunapio Vit. Proaeresii p. 150: τυχὼν δὲ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φιλοτιμίαν τύχης ἀξίας —.

P. 114. Δὶς ἑπτὰ, Libanius Orat. De ulciscenda Juliani nece, apud Fabricium Biblioth. Gr. Vol. VII, p. 170: Ἐνόσησαν μὲν Ἀθηναῖοι διὰ τὸν Ἀνδρόγεω θάνατον, καὶ τῷ πατρὶ τοῦ τετελευτηκότος τὸν δασμὸν τοὺς δὶς ἑπτὰ ἤνεγκαν —· In Catulli Epithal. 776, scribendum 76.

P. 127. Φιλοσοφίας μὲν οὔσης μεγίστης μουσικῆς. Attigit hanc sententiam J. Davisius ad Maximum Tyrium XII, 7, p. 543.

P. 134: Ὁ — ἐν ἀποῤῥήτοις λεγόμενος περὶ αὐτῶν λόγος· est interior doctrina Socratis, tradita ab eo discipulis per sermones habitos secreto: distinguitur ab exteriore ac populari. Sic Socrates de justitia se didicisse ait in Cratylo

p.

p. 269, C: μέχρι μὲν οὖν ἐνταῦθα, ὃ νῦν δὴ ἐλέγομεν, παρὰ πολλῶν ὁμολογεῖται τοῦτο εἶναι τὸ δίκαιον· ἐγὼ δὲ, ὦ Ἑρμόγενες, ἅτε λιπαρὴς ὢν περὶ αὐτοῦ, ταῦτα μὲν πάντα διαπέπυσμαι ἐν ἀποῤῥήτοις —.

P. 142. Ἀλλὰ σχεδὸν μέντοι ᾔδειν· — ἀλλά μοι πράγματα πάλαι παρέχει. Pierfonus ad Moeridem p. 173, ex Photii Lexico MS., pro ᾔδειν reftituit Atticum ᾔδη· qua in ratione eum fequitur Larcherus Annot. ad Etymol. M. Act. Acad. Infcript. Tom. XLVII, Hiftor. p. 165. Neque tamen Ariftophanis Avib. 19, Τὼ δ' οὐκ ἄρ' ἤστην οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν, fcribam ἤστην, *cognoverant*, pro ᾔδεσαν· fed vulgatam tuear vertens: *Hi autem duo nil aliud erant, quam mordere:* i. e. *nil nifi mordebant*, ut Kufterus et Berglerus. — Nam Brunckius ἐστὸν, *funt*, dedit, ufum tamen verbi εἶναι retinens: qui fane elegans et Atticus est, et nobis animadverfus Biblioth. Crit. X, p. 11. Repetiti ἀλλά exempla funt etiam in Demosthene Adverf. Leptin. p. 364, B: ἀλλ' ἐὰν δείξη πέντε, ἐγὼ λῆρεῖν ὁμολογῶ· — ἀλλὰ καὶ τῶν μετοίκων εἶναι πλείονας ἢ τοσούτους κ. τ. λ. Adverf. Midiam p. 597, C: faepius Julianus, Caefarib. p. 333, C. Epist. III, p. 374, C. Sic Latinis *at* — *at*, v. c. Ciceroni Senect. 11. Cluent. 33. Matio Epist. Diverf. XI, 28.

P. 144. Ad haec adhibeantur et exigantur

 ea,

ea, quae de partibus Verbi *τεθνάναι* tradit eruditisſimus vir Augustus Matthiae in Grammatica Graeca p. 328.

P. 149. Graec. Exempl. p. 14. *τὰς περὶ τὸ σῶμα θεραπείας δοκεῖ σοι ἐντίμους ἡγεῖσθαι ὁ τοιοῦτος; — ἢ ἀτιμάζειν, καθόσον μὴ πολλὴ ἀνάγκη μετέχειν αὐτῶν;* hujus capitis imitationem conſectatus est Baſilius Magnus Homilia XXIV, De Legendis Graecorum Libris T. I, p. 500, B: *τί οὖν ποιῶμεν, φαίη τις ἄν; τί δ' ἄλλογε ἢ τῆς ψυχῆς τὴν ἐπιμέλειαν ἔχειν, πᾶσαν σχολὴν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἄγοντας; οὐ δὴ οὖν τῷ σώματι δουλευτέον, ὅτι μὴ πᾶσα ἀνάγκη· ἀλλὰ τῇ ψυχῇ τὰ βέλτιστα ποριστέον, ὥσπερ ἐκ δεσμωτηρίου, τῆς πρὸς τὰ τοῦ σώματος πάθη κοινωνίας, αὐτὴν διὰ φιλοσοφίας λύοντας, ἅμα δὲ καὶ τὸ σῶμα τῶν παθῶν κρεῖττον ἀπεργαζομένους· κ. τ. λ.*

P. 152. Graec. Exempl. p. 15. *Οἷον τὸ τοιόνδε λέγω· Veluti, hoc tale dico.* Non erat praetermittenda formulae venuſtas, quam memorando hoc loco attigit Heusdius noster in Specimine Platonico p. 7. Sic etiam Leg. I, p. 574, E: *Οἷον τὸ τοιόνδε περὶ αὐτοῦ καὶ μάλα εἴχομεν ἂν αὐτῷ διαλέγεσθαι·* Maximus Tyrius. XXVII, 5: *Οἷον τὸ τοιόνδε λέγω. — σῶμά που τραφῆναι ἀδύνατον, ὅτι μὴ σιτίων προσφορᾷ κ. τ. λ.*

P. 155. Olympiodori locum Ruhnkenius appo-

posuit ad Callimachi Fragm. Bentlei. Edd. Ernest. T. I, p. 541, ubi ex Eustathio Il. Ψ. 1436 hoc Callimachi laudatur, δραμόντος ἑτέρων ἴχνια μὴ κατ' ὁμά. Valckenarius in fragm. Eleg. Callimach. etiam illud prius Callimachi, certe veteris poëtae, et sic scribendum esse judicat: — τᾷ μὴ πατέουσιν ἁμάξαι, Τᾷ στείβειν — p. 298. Monuit me quoque Eldikius, Literarum nostrarum coryphaeus. Itaque meum commentum lubens deleo.

P. 161. Ὡς τὸ εἰκός· rarius est, pro ὡς εἰκὸς, vel ὡς εἰκός ἐστι, *ut par est, ut consentaneum est.* In Platone credo me legisse, quamquam non annotatum in adversariis video. Xenophon aliquoties habet: Cyropaed. I, 2, 11: Select. Gr. p. 122: ἄριστον ἔχοντες πλεῖον μὲν, ὡς τὸ εἰκὸς, τῶν παίδων, τἄλλα δὲ ὅμοιον· i. e. *prandium habentes majus quidem, ut par est, quam pueri, caeteroquin autem simile.* Anabas. III, 1, 14: Select. Gr. p. 174: ἀγωνοθέται δ' οἱ θεοί εἰσιν, οἳ σὺν ἡμῖν, ὡς τὸ εἰκὸς ἔσονται· *certaminis autem praesides, sunt Dii, qui nobiscum, ut par est, erunt.* Agesil. 2130. Basilius Magnus Epist. CCLIV, T. III, p. 252, E: ἃ πάντως μὲν γνωρίζειν σοι, ἕωλόν ἐστι καὶ ψυχρὸν, πάλαι μεμαθηκότι ὡς τὸ εἰκός· i. e. *haec tibi nunciare ineptum est et obsoletum; quippe dudum, ut par est,*

 scien-

ſcienti. Aelianus Var. Hist. III, 20: XIV, 18.

P. 162. Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ᾖ. Anonymus Interpres Categor. p. 12: μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι οὐχὶ θεμιτὸν, κατὰ τὴν Πλάτωνος φωνήν.

P. 169. Καταλλάττεσθαι. Plato Sympoſ. p. 334, I: ἀλλάξασθαι κάλλος ἀντὶ κάλλους· quo ſe ſloſculo ornavit Ariſtaenetus I, 27. Demoſthenes pro Corona p. 333, A: τῆς ἐπὶ ταῖς λοιδορίαις ἡδονῆς καὶ χάριτος τὸ τῆς πόλεως συμφέρον ἀντικαταλλαττόμενοι. Maximus Tyrius Diſſ. XXXII, 2: Ἐρώμεθα οὖν Φίλιππον, τίνος ἀντικαταλλάττῃ πόνους τοσούτους —. Plutarchus Caeſare, p. 1709. E: ἐφήμερον καὶ βραχεῖαν ἀντικαταλλάττεσθαι μεγάλων ἀναλωμάτων δόξαν. Antonio p. 924, B: φόνων γὰρ ἀντικαταλλαττόμενοι φόνους. Adverſ. Stoicos p. 1064, A: τῆς φρονήσεως ἀντικαταλλάττονται τὴν ὑγείαν. Dio Chryſ. Or. LXXIX, p. 665, B: ἀντὶ χρηστῶν ἄχρηστα ἀντικαταλλαττόμενοι. Notavit dictionem etc. P. Weſſelingius ad Diodor. Sic. I, 2, p. 5. Simplex ἀλλάττεσθαι hoc ſenſu et conſtructione eſt in Platone Leg. VIII, p. 651, C: ἀλλάττεσθαι νόμισμά τε χρημάτων, καὶ χρήματα νομισμάτων. Plutarchus Apophthegm. Lacon. p. 236, A: τῆς ἐλευθερίας — οὐκ ἂν ἀλλάξαιτό τις νοῦν ἔχων τὴν Περσῶν βασιλείαν. Himerius Or. XIII, 6, p. 594: Λειβήθριοι μὲν ἀντὶ τῆς Ὀρφέως λύ-

λῦρας, ἣν ἀτιμάζειν εἵλοντο, μανίαν τε καὶ ἀμουσίαν καὶ σιωπὴν ἠλλάξαντο.

P. 171. Proclus Comment. in Platonis Alcibiad. I. MS. p. 61: τῶν παρόντων μὲν ὑπερφρονεῖν ὡς ἐσκιαγραφημένων. p. 99: ὁ ταύτην κτησάμενος οὐκ εὐεξαπάτητός ἐστιν ἀπὸ (lege ὑπὸ) τῶν εἰδώλων καὶ πρὸς αὐτὰ τὰ ὄντα δύναται βλέπειν τῶν σκιαγραφικῶν τούτων ἀπαλλαγείς. Fons autem hujus praecepti et nominis est in mirabili illo Platonis antro Rep. VII, initio.

P. 174. Οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ἦ. Julianus in Caesaribus, p. 18, edit. Heusing. Ἀλλ' ὁ Πομπήϊος ἐπῆρέ σε μετὰ τοῦτο, κολακευθεὶς μὲν ὑπὸ τῶν πολιτῶν τῶν ἑαυτοῦ, γενόμενος δὲ οὐδεὶς οὐδαμοῦ.

P. 175. Παραμυθία sic est apud Sextum Empiricum Adverf. Mathem. X, 86: παραμυθία τῶν λημμάτων, *confirmatio praemisfarum*; ut recte interpretatur Fabricius: ibid. 90, ἡ τοῦ λόγου παραμυθία· item 100. Sic et verbum παραμυθεῖσθαι VII, 66, de quo alia ad aliud tempus refervamus.

P. 179. Ad hunc ufum Verborum ἀποδεικνῦναι et ἀποφαίνειν referendi funt Athenaeus XIV, p. 620, B: ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου Λαρήνσιος ὡς ἄλλος οὐδὲ εἷς, ὡς λῆρον ἀποφαίνειν Κάσανδρον τὸν Μακεδονίας βασιλεύσαντα —· XV, p. 691, D: fimpliciter — ὡς λῆρον εἶναι τὰ —

Ἀλέ-

'Αλέξιδος ταυτί —. Gregorius Naz. Or. XX, p. 319, B: διωγμὸς ἦν — Μαξιμίνου, ὃς — πάντας Φιλανθρώπους ἀπέδειξε· i. e. *persecutio fuit —. à Maximino facta, prae qua omnes aliae persecutiones lenes et humanae fuisse videbantur.*

P. 182. Οὐδαμοῦ φαίνεσθαι. Demosthenes De Falsa Legat. p. 215, A: οὐδαμοῦ γὰρ ἂν φανῆναι καθ' ἑαυτὸν ἐκεῖνον· *nihil enim effecturum fuisse illum per se solum.*

P. 183. Οὐδαμοῦ θεῖναί τι. Euripides Andromach. 209 — τὴν δὲ Σκῦρον οὐδαμοῦ τίθης. Gregorius Naz. Or. I, p. 22, A: πολλὰ κατακρίναντες ἡμᾶς — καὶ οὐδαμοῦ θέντες ἀπῆλθον.

P. 185. Οἱ ἐρασταὶ ὅταν ἴδωσι λύραν —, Idem Maximus Tyr. VIII, 10: αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ τῶν ἐρώντων πάθος, οἷς ἥδιστον μὲν θέαμα οἱ τῶν παιδικῶν τύποι, ἡδὺ δὲ εἰς ἀνάμνησιν καὶ λύρα —.

P. 187. Verbi ἐπισφραγίζεσθαι vim non cepit interpres Clementis Alexandr. Strom. I, p. 346, D: — λογισμός ἐστι τὸ τακτικὸν, ἐπισφραγίζομενος ἐγκράτειαν, σωφροσύνην μεθ' ὁσιότητος — vertens, *qui obsignet*, vertendum: *ratio est quae ordinat, nomen et potestatem sibi sumens continentiae, temperantiae, caet.*

P. 189. Λήθην λέγομεν ἐπιστήμης ἀποβολήν· In primis hoc fecit Aristoteles Topic. VII, 2: ἀνά

ἀνάγκη γὰρ ἀκολουθεῖν τὰ γένη τοῖς γένεσι, καὶ τοὺς ὅρους τοῖς ὅροις· οἷον, εἰ ἡ λήθη ἐστὶν ἀποβολὴ ἐπιστήμης· καὶ τὸ ἐπιλανθάνεσθαι ἀποβάλλειν ἐπιστήμην ἔσται· καὶ τὸ ἐπιλελῆσθαι ἀποβεβληκέναι ἐπιστήμην.

P. 192. Ἀλλ' ἴσως ἔνι τις καὶ ἐν ἡμῖν παῖς —] Spectat eodem Plotinus Ennead. I, 4, 15, p. 38, E, τὸν ἐν αὐτῷ κινηθέντα, οἷον πρὸς λύπας παῖδα καταπαύσεις: sic enim legendum pro παῖδας.

P. 193. Ἐπᾴδειν· *accinere*, metaphorica significatione *suadendi*, *docendi*, *monendi*, *consolandi*, Platonicis est frequens. Sic ipse Leg. II. p. 578, D: 580, D: 581, D: VI, 622, D: VII, 637, C: VIII, 646, D: XII, 687, B. Plutarchus Moral. p. 145, C: 602, E: 604, B: 779, A: 920, C. Julianus Or. VIII, 248, D, ἐπῳδή, de quo item frequenti alias dicemus. Basilius M. Epist. CLXXXVIII, T. III. p. 204, A: ἐὰν ἐπιτρέψωμεν τῷ λογισμῷ ταῦτα ἡμῖν κατεπᾴδειν, τάχα ἂν εὕροιμέν τινα μετρίαν τοῦ κακοῦ λύσιν. Joannes Chrysostomus Homil. De Ira. T. I. p. 254, F: τὴν ψυχὴν ἀναδυομένην, καὶ ὀκνοῦσαν, καὶ ἐρυθριῶσαν, καὶ αἰσχυνομένην διέγειρον, ταύτας αὐτῇ συνεχῶς ἐπᾴδων τὰς ἐπῳδάς.

P. 194. Exempl. Gr. p. 35. Πολλὴ μὲν ἡ Ἑλλάς — Clemens Alexandrin. Strom. I, p. 302, D: Πλάτων — ἐν τῷ Φαίδωνι πανταχόθεν

θεν τὸν φιλόσοφον ὠφελεῖσθαι γράφων· Πολλὴ μὲν ἡ Ἑλλὰς, ἔφη, ὦ Κέβης, ἧ δ᾽ ὅς, ἐν ᾗ εἰσὶ πάμπαν ἀγαθοὶ ἄνδρες· πολλὰ δὲ καὶ τὰ βαρβάρων γένη.

P. 199. Exempla iteratarum negandi particularum haec etiam cognoscantur: Demosthenis Adv. Leptin. p. 374, C: μὴ ἐξεῖναι τῶν αὐτοῦ δοῦναι μηδενὶ μηδέν· 375, A: μηδενὶ δεῖν μηδὲν διδόναι, μηδ᾽ ἂν ὁτιοῦν πράξῃ· Adv. Androtion. p. 423. E: δίκην οὐδεὶς οὐδεμίαν μὴ δῷ. Adv. Midiam p. 405, B: οὐδὲν οὔτ᾽ ἐστὶν, οὔτ᾽ ἔσται, οὐ γένος, οὐ πλοῦτος, οὐ δύναμις, ὃ τοῖς πολλοῖς ὑμῶν, ἂν ὕβρις ᾖ, προσήκει φέρειν.

P. 201. Ἀλλό τι ἡμῶν αὐτῶν, ἢ τὸ μὲν —. Vim hujus formulae accurate explicat idem noster quondam eruditisſimus familiaris Augustus Matthiae, Grammaticae Graecae p. 675.

P. 202. Πάθημα φρόνησις. Sic Ariſtoteles De Memoria Cap. II, ἐπιστήμην vocat πάθος.

P. 203. Ὅλῳ καὶ παντί. Anonymus Interpres Categor. p. 61: ὡς οἱ παροιμιαζόμενοι φασὶν ἀλλὰ καὶ παντί, legendum, ὅλῳ καὶ παντί.

P. 204. Ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ. Eldikius ſaepe nobis laudatus hanc mecum animadverſionem communicavit. „ Quod Olympiodorus νοητῷ interpretatur *intelligente*, eodem ſenſu, niſi fallor ſcripſit Crito, ſive Damippus, apud Sto-

Stobaeum Serm. III, p. 44. τὸ γὰρ ἄλογον καὶ τὸ NOHTON ἐν πᾶσιν ἔνι κ. τ. λ. τὸ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων αὐτῶν συγκείμενον ΑΤΤΑ τῷ ὅλῳ καὶ τῷ παντὸς συναρμογά ἐντι." Equidem pro priori retineam vulgatum ῥητὸν, quod in principio hujus disputationis cum λόγον ἔχον jungitur, et λογικὸν valet: at posterius prae vulgato ἅ, τε, plane probandum. Utroque in vocabulo veterem lectionem retinet novissima editio Nicolai Schowii: quae ad hoc tempus non nisi XXVI titulis constat. In loco Olympiodori duo sunt animadvertenda. Primum: quod in verbis, νοητὸν λέγει ἐνταῦθα ὁ Πλάτων τὸν νοῦν, οὐ μὴν νοούμενον, pro τὸν νοῦν legendum videtur τὸ νοοῦν, ut mox. Alterum: quod in proximis, οὕτω δὲ καὶ Ἀριστοτέλης τὸ αἰσθητὸν αἰσθητικὸν ἐκάλεσεν, dicendum erat — αἰσθητὸν τὸ αἰσθητικὸν ἐκάλεσεν· i. e.: *id quod sentiendi vim habet*, *vocavit* αἰσθητὸν, *scil. sensibile*; hoc enim Olympiodorus voluit. Habet quidem ἀναίσθητος, ut apud alios, sic apud Aristotelem utramque significationem activam et passivam, *quod non sentit*, et, *quod non sentitur*. At idem τὸ αἰσθητὸν, *sensibile*, *id quod sentitur vel sentiri potest*, et τὸ αἰσθητικὸν, id quod sentiendi vim habet, semper sic distinguit, ut ὁρατὸν et ὁρατικὸν, ἀκουστὸν et ἀκουστικὸν, γευστὸν et γευστικὸν, ὀσφραντὸν et ὀσφραντικὸν, et similia. Videatur Catego-

ria-

riarum Cap. V: De Anima III, 2. item in libello περὶ Αἰσθήσεως καὶ Αἰσθητῶν.

P. 205. Socratem menſe Julio obiisſe ex tempore feſti *Deliorum*, et theoriae colligitur: quod recte tuetur, Dacierii etiam errorem notans, Larcherus in Actis Academiae Inſcription. T. XLVIII, p. 306.

P. 207. Φιλοσοφία — μελέτη θανάτου. Gregorius Naz. Epist. LXX, p. 827, B: ζῆν ἀντὶ τοῦ παρόντος τῷ μέλλοντι, θανάτου μελέτην, τοῦτο δ' φησι Πλάτων, τὸν τῇδε βίον ποιούμενον, καὶ λύοντα τὴν ψυχὴν τοῦ, εἴτε σώματος, εἴτε σήματος κατ' ἐκεῖνον εἰπεῖν, ὅση δύναμις.

P. 208. *Humanis vitiis.* Huic Ciceronis loco Tusc. I, 30, geminus est alter ex ejus Hortenſio, ſervatus apud Augustinum De Trinitate IX, 26. Tom. Opp. VIII, p. 684, B: „ ſi, ut antiquis philoſophis, hisque maximis „ longeque clarisſimis, placuit, aeternos ani„ mos ac divinos habemus, ſic exiſtimandum „ est, quo magis hi fuerint ſemper in ſuo cur„ ſu, id est in ratione et investigandi cupidita„ te, et quo minus ſe admiſcuerint atque impli„ cuerint *hominum vitiis et erroribus*, hoc his „ faciliorem adſcenſum et reditum in coelum „ fore."

P. 209. Ψυχὴ — περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη· Clemens Alexandr. Protreptico p. 37, C: πῶς οὖν ἔτι θεοὶ τὰ εἴδω-

ἴδωλα καὶ οἱ δαίμονες, βδελυρὰ ὄντως καὶ πνεύματα ἀκάθαρτα, πρὸς πάντων ὁμολογούμενα γήϊνα καὶ δεισάλεα, κάτω βρίθοντα, περὶ τοὺς τάφους καὶ τὰ μνημεῖα καλινδούμενα; ubi Potterus imitationem Platonicam notat. Julianus Misopog. p. 344, A: de cultu religioso sepulcrorum — τοῖς περὶ τοὺς τάφους καλινδουμένοις γραϊδίοις συνεχωρήσαμεν. Idem Adverf. Christianos apud Cyrillum Alexandr. X, p. 339, F: Τούτων οὖν οὕτως ἐχόντων ὑμεῖς ὑπὲρ τίνος προσκαλινδεῖσθε τοῖς μνήμασι.

P. 215. Φιλοτησίας. Demosthenes De Falsa Legat. p. 216, C: συνεστεφανοῦτο καὶ συνεπαιώνιζε Φιλίππῳ καὶ Φιλοτησίας προὔπινε: ubi plura dedit Taylorus in edit. Reisk. T. IX, p. 404 seq.

P. 219. Exempl. Gr. p. 43. ἠρέμα παραμυθεῖται. Platoni debuit Themistius Or. I, p. 9, C: ἠρέμα παραμυθούμενοι.

P. 220. Exempl. Gr. p. 44. Hunc usum particulae οὕτω animadvertimus supra p. 164.

P. 227. Ὀχούμενον ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας. Gregorius Naz. Or. V, p. 134, D: καθάπερ ἐπὶ λεπτῆς σχεδίας διαπεραιουμένῳ μικρόν τι πέλαγος· Aristophanes Gerytade ap. Athen. XII, p. 551, D: ὡς σφόδρ' ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὀχεῖσθ' ἄρα· sic Brunckius.

P. 230. Θρᾶττον. Est etiam hoc verbum in Euripidis Rheso 683. Pherecrate Athenaei

VII, p. 306, A: πάνυ ἐκεῖνο θράττει με —· Porphyrii Epistola ad Anebonem p. 5, vers. 42: πάνυ δέ με θράττει πῶς οἱ κρείττους παρακαλούμενοι ἐπιτάττονται ὡς χείρους. Jamblicho Myster. Aegypt. III, 2, p. 61, verſ. 29: ὃ δὴ καί σε θράττειν μοι δοκεῖ.

P. 231. Φαίη ὁ λόγος. Plato Philebo p. 88, G: Ἀλλ' εὐθύ τι λέγω, Φησὶν ὁ λόγος, καὶ περιφερές. Sophiſta p. 157, B: Οὐκ ἂν ὀρθῶς γε, ὡς ἔοικεν, ἐπιχειροῖμεν, ὥς Φησιν ὁ λόγος· quae adhibuit Daviſius ad Maximum Tyrium Diſſ. XXVIII: 5: Λόγοις τοιγαροῦν εὐωχητέον τὰς ἀγαθὰς ψυχὰς, καὶ οὐ δικανικοῖς λόγοις, Φησὶν ὁ λόγος.

P. 231. Ἀνυφαίνοι. Verbum in Lexico Manuali Hederico-Ernestino exſtare, monuit me diſcipulus et mei et Literarum ſtudioſiſſimus, idem mihi ſupra memoratus p. 337.

P. 232. Τὴν φύσιν τῆς ἀσθενείας. Simplicem in hac ſententia ac dictione compoſitionem ſecutus est Gregorius Nazianzenus Or. X, p. 160, D: Τῆς τε ἀνθρωπίνης φύσεως τὴν ἀσθένειαν ἐπιδείξομεν. Hunc autem in periphraſi uſum vocis φύσις attigit etiam Abreſchius in Animadverſ. ad Aeſchylum Lib. III, p. 174.

P. 234. Ἔτυχον γὰρ καθήμενος ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ παρὰ τὴν κλίνην ἐπὶ χαμαιζήλου τινος· Non ingratum ſpero me facturum lectoribus noſtris apponenda animadverſione ex ſcripto Com-

Commentario nostro Plutarcheo ad illum memoratum locum, ex hoc Platonico expresſum, in Sapientum Convivio p. 150, A, eaque nunc aliquantum auctiore. Est enim illius Commentarii ea fors, ut vel libero cum Britannia commeatu in paucisſimorum nostratium manus perventurus esſet; nunc autem adhuc clauſo, in neminis cujusquam conſpectum venerit. Sic igitur habet. „ Exemplum è Platone ductum Phaedonis p. 389, F —. Vocabulum Χαμαίζηλος in Glosſas retulit Timaeus, ibique expoſuit Ruhnkenius p. 273: ut Adjectivum adhibuit Plutarchus T. II, p. 293, A: *χαμαιζήλων φυτῶν.* Achilles Tatius Hist. Amat. I, p. 11: *καθίσας οὖν αὐτὸν ἐπί τινος θώκου χαμαιζήλου, καὶ αὐτὸς παρακαθιζόμενος, Ὥρα νῦν, ἔφην, τῆς τῶν λόγων ἀκροάσεως.* Simile quid de Terentio prodit Suetonius in Ejus Vita p. 402: — *Andriam quum Aedilibus daret, jusſus ante Caerio recitare; ad coenantem quum venisſet, dictus est, initium quidem fabulae, quod erat contemtiore vestitu, ſubſellio juxta lectulum reſidens, legisſe: post paucos vero verſus invitatus ut adcumberet, coenasſe unâ, deinde caetera percurrisſe, non ſine magna Caerii admiratione.* Et Tacitus hunc morem Romanorum attingit Annal. XIII, 16; ubi J. Lipſius erudite docet, viliorum fuisſe convivarum ad fulcrum lecti ſedere, accumbentibus

caeteris: et quaedam nobis animadversa occupavit, quae idcirco hic omittimus. De Graecis haec Athenaei addimus: I, 18, A: ex Hegesandro: Ἡγήσανδρος δὲ φησὶ, οὐδὲ ἔθος εἶναι ἐν Μακεδονίᾳ κατακλίνεσθαί τινα ἐν δείπνῳ, εἰ μή τις ἔξω λίνων ὗν κρατήσειεν· ἕως δὲ τότε καθήμενοι ἐδείπνουν. Κάσανδρος οὖν πέντε καὶ τριάκοντα ὢν ἐτῶν, ἐδείπνει παρὰ τῷ πατρὶ καθήμενος, οὐ δυνάμενος τὸ ἆθλον ἐκτελέσαι, καίπερ ἀνδρεῖος γεγονὼς καὶ κυνηγὸς ἀγαθός. Ex Perseo de Lacedaemoniis IV, p. 140, F: τὸ δ' ὅλον ὥσπερ πολίτευμά τι τοῦτο συνίσταται μικρόν. καὶ γὰρ ὅντινα δεῖ πρῶτον κατακεῖσθαι ἢ δεύτερον, ἢ ἐπὶ τοῦ σκιμποδίου καθῆσθαι, πάντα ταῦτα ποιοῦσιν εἰς ἐπαΐκλα. Caeterum, Lipsius et Plutarcheum locum animadvertit his verbis: *nec alio Plutarchus respexit, cum in Convivio suo reliquos quidem accumbentes facit, at Aesopum, qui servus, sedentem in subsellio apud Solonem.*"

P. 237. Τὸ ποῖον; Sic etiam Epictetus Dissert. III, 23, p. 475: Πῶς οὖν εἶπον ἐκεῖνο; Τὸ ποῖον;

P. 239. Τοὺς μὲν χρήστοὺς καὶ πονηροὺς σφόδρα, ὀλίγους. Hinc aliquid duxisse videtur Lucianus Pro Mercede Conductis, §. 13, T. I, p. 722: — ὄψει ὅτι μεγέθει καὶ σμικρότητι διαλλάττομεν τῶν ἀκροτάτων· τὰ δ' ἄλλα, μισθοφόροι ὁμοίως ἅπαντες.

P. 241.

P. 241. Μικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δ' ἀληθείας πολὺ μᾶλλον. Spectat huc Anonymus Interpres Categor. MS. p. 16: πιστεύει γὰρ Σωκράτει λέγοντι· καὶ Σωκράτους μὲν ὀλίγον φροντιστέον, τῆς ἀληθείας δὲ πολύ.

P. 251. Μὴ μέγα λέγε. Adde G. Koenium Praefat. ad Corinthum p. IX, X.

P. 251. Προσκυνῶ δὲ 'Αδράστειαν. Euripides Rheso. 468: — σὺν δ' 'Αδραστείᾳ λέγω. Julianus Epist. XXIX, p. 403, B: 'Αδράστεια δ' εὐμενὴς εἴη. LIX, p. 445, D. Themistius Or. XXXI, p. 354, B: ἔξεστί μοι παρακαλέσαντι τὴν 'Αδράστειαν ὑψηλογῆσαι. Libanius Or. Ad Eos Qui Molestum Eum Appellabant: apud Fabric. B. G. VII. p. 199: σὺν 'Αδραστείᾳ δ' εἰρήσεται.

P. 253. *Partem philosophiae physicam, quae tunc una adhuc philosophiae pars, auctoribus Jonicis, Pythagoricis, Eleaticis, florebat.* Haec non ad vivum resecanda, sed intelligenda eo modo, quo diximus Philomathiae Lib. II, p. 240. Nam et Ethica tractabatur a Pythagoricis, et Dialectica a Zenone Eleate ejusque sectatoribus.

P. 254. Exempl. Gr. 64. 'Αρ' ἐπειδὰν τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν σηπεδόνα τινὰ λάβῃ, ὥς τινες ἔλεγον, τότε δὴ τὰ ζῶα συντρέφεται. Monuit me Paradysius noster de Curtii Sprengelii conjecturâ proditâ in ejus Historia Medi-

cinae Germanice scripta, Tomo I, p. 443, ψυχρὸν mutantis in ὑγρόν. Quam sane mutationem et res ipsa postulat, et commendat proclivitas librarii, propter frequentem in hac disputatione θερμοῦ et ψυχροῦ oppositionem, facile in istum errorem incidentis.

Ibid. Πότερον τὸ αἷμά ἐστιν, ᾧ φρονοῦμεν, ἢ ὁ ἀὴρ, ἢ τὸ πῦρ· Poterat item addi Stoicorum ex Heraclito repetitum placitum, et Diogenes Laërtius VII, 156, 157, et Dissertationis nostrae De Placit. Immortal. Sect. VIII, p. 70.

P. 256. Ἐνὶ λόγῳ. Plato Leg. VII, p. 636. Dio Chrys. Or. LXXVII, p. 651, C. Plutarchus Pompejo p. 645, D. De Isid. et Osir. p. 377, A. Plenius Galenus De Sanitate Tuenda. II. Edit. Charter. T. VI, p. 75, C: λόγῳ ἑνὶ καὶ πρώτῳ. Budaeus Comment. Ling. Gr. p. 984.

P. 257. Κατὰ νοῦν· *ex animi sententia*, *gratum*. Julianus Or. VIII, fin. p. 252, D. Anonymus apud Suidam in Ἀειφυγία.

P. 263. Δέον, *id quod oportet*, *officium*, quasi *ligans*, a verbo δεῖν *ligare* ductum, quibusdam videri Plato in Cratylo p. 271, tradit: τὸ δέον φαίνεται δεσμὸς εἶναι. Quam significationem suae disputationi accommodat Plotinus, VI, 2, p. 753, C—F.

P. 265. Platonis, ut videtur, Comici, verba

ba ὡς καὶ νῦν ἔχομεν παρουσίας, quum in fine jambos habeant, fuspicionem praebent verfum hujusmodi fuisfe Ἀλλ' ὥς γε καὶ νῦν εἴχομεν παρουσίας.

Ibid. Ad illam formam conftructionis verborum χαίρει προσαγορευόμενός τι referenda etiam funt haec Platonis Euthyphrone p. 51, G: τί ποτε ὂν τὸ ὅσιον, εἴτε φιλεῖται ὑπὸ τῶν θεῶν, εἴτε ὅτιδη πάσχει Sympofio p. 331, F: τοῦτον οὖν τὸν λόγον, ὦ Φαῖδρε, εἰ μὲν βούλει ὡς ἐγκώμιον εἰς Ἔρωτα νόμισον εἰρῆσθαι· εἰ δὲ, ὅ, τι καὶ ὅπη χαίρεις ὀνομάζων, τοῦτο ὀνόμαζε. Athenaei VI, p. 234, D: Πολέμων γοῦν ὁ εἴτε Σάμιος, εἴτε Σικυώνιος, εἴτ' Ἀθηναῖος ὀνομαζόμενος χαίρει. VII, p. 277, D: ὁ τὴν Τιτανομαχίαν ποιήσας, εἴτ' Εὔμηλός ἐσθ' ὁ Κορίνθιος, ἢ Ἀρκτῖνος, ἢ ὅς τις δήποτε χαίρει ὀνομαζόμενος· VIII, p. 234, B: ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη, εἴτε Κύπριός τις ἐστὶ, ἢ Στάσινος, ἢ ὅς τις δή ποτε χαίρει ὀνομαζόμενος.

P. 267. Τὰ ἀνωτάτω, fcilicet *principia*, *genera fumma*. Sextus Empir. Adv. Mathem. IX, 117, X, 38, ibidem Fabricius: idem ad VIII, 223, de Adverbio ἄνωθεν, paulo tamen aliter quam de *genere*.

P. 269. Exempl. Gr. 72. Οὐκ ἂν φύροιο. Verbum aliquoties a Platone pofitum, ut notet *turbare in disputando*. Gorgia p. 288, D: φύρονται ἐν τῷ αὐτῷ καὶ περὶ ταυτὰ σοφισταί τε καὶ ῥή-

τορες. Sic συμφόρειν Philebo 74, C. Alibi simpliciter. Epictetus Diss. II, 12, p. 230: οἱ δὲ πολλοὶ καὶ εἰκαῖοι φύρονται καὶ φύρουσι. IV, 13, p. 675: καὶ φύρω καὶ φύρομαι. Plutarchus De Isid. et Osir. p. 378, D. Defect. Orac. 416, F. Aristides T. II, p. 112: πάντα ταῦτα τῶν φυρόντων ἐστὶ τὰ ὀνόματα. Ibid. p. 314: καὶ μὴ φυρώμεθα ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ.

P. 270. Ἰδέα et εἶδος promiscue etiam ponuntur in Euthyphrone p. 49, H: 50, A: 51, C.

P. 283. Ψυχὴ ἂν εἴη, πρὸς τῷ ἀθάνατος εἶναι, καὶ ἀνώλεθρος· i. e. *anima, praeterquam quod immortalis est, etiam interitus expers sit.* Huc pertinet Athenaeus I, p. 33, E: ὁ Ταινιωτικὸς, πρὸς τὸ ἡδὺς εἶναι, ἔχει τὶ καὶ ἀρωματῶδες. Diphilus Siphnius, medicus, apud eumdem: ἡ γογγυλὶς — γλυκυτέρα γάρ' ἐστι καὶ πεπτικωτέρα πρὸς τῷ εὐστόμαχος εἶναι. In hac compositione πρὸς τὸ rarius est quam πρὸς τῷ, ut monuimus item in Animadvers. ad Plutarchi Mor. editionis Oxoniensis, Consolat. ad Apollon. p. 115, B. Sed illarum Volumen Animadversionum quum nesciamus quando ad nos venturum sit, ejusque ego non nisi scriptum exemplum in manibus habeam: et homines nostrarum Literarum studiosi succensere, certe subirasci, mihi videantur eos si quando ad illas Animadversiones rejicienti; age eorum stoma-

macho consulamus, et locos Auctorum ibi expositorum, saltem suis paginis notemus, ut et nos brevitatis rationem habeamus, et ipsi locos illos evolvere et inspicere possint. Igitur Platonis sunt, Theaeteto p. 132, G: Sympos. 324, F: Phaedro, 342, B: Leg. VI, 618, E: 622, D. Plutarchi Sympos. IV, p. 669, B: VIII, 710, D: Praecept. Reip. 815, E: Malign. Herodot. 855, B: Advers. Epicur. 1092, E: Fabio Max. 175, A: M. Coriolano 253, E: Pelopida 280, F: Marcello 303, C: Tib. Graccho 831, E. Dionis Chrys. Or. VI, 109, B: 98, C: LXV, 600, D. LXXVIII, initio. Aristidis Or. Plat. I, p. 75. Horum quidam emendantur: quod nunc referre longum erat.

P. 285. Xenophontis verba, Hellenic. V, 1, 10: *ἔνθα ἡ Τριπυργία καλεῖται*, imitatus videtur Procopius Bello Pers. II, 27, p. 330, D: *ἀμφὶ πύλας τὰς Σοΐνας καλουμένας ξὺν τοῖς ἑπομένοις ἐμάχετο· οὗ δὴ Τριπυργίαν καλοῦσι τὸν χῶρον.*

P. 289. Ὁ *ἑκάστου δαίμων, ὅσπερ ζῶντα εἰλήχει.* Huc pertinet etiam disputatio Jamblichi Protrept. p. 11.

P. 297. Ad argumentum de aequilibritate Terrae referendus est Cicero De Natura Deorum II, 39: *Ac principio Terra universa cernatur, locata in media sede mundi, solida et glo-*

globosa, et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata. Eadem cum Mundo communicatur ibidem 45: *Quocirca, si mundus globosus est, ob eamque caussam omnes ejus partes undique aequabiles ipsae per se atque inter se continentur; contingere idem Terrae necesse est, ut omnibus ejus partibus in medium vergentibus: id autem medium infimum in sphaera est: nihil interrumpat, quo labefactari possit tanta contentio gravitatis et ponderum.* De Oratore III, 45: *Incolumitatis ac salutis omnium caussa videmus hunc statum esse hujus totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur.* Ovidius Met. I, 12: *Nec circumfuso pendebat in aëre tellus, Ponderibus librata suis.* Ubi similia dat N. Heinsius.

P. 301. Julianus Or. V, p. 170, D, *Terram* significans, eam dicit, *τῶν ὄντων ἀποκάθαρμα καὶ τρύγα καὶ ὑποστάθμην.*

P. 308. *Θέαμα εὐδαιμόνων θεατῶν.* Geminum huic est dictum Platonis in Phaedro, p. 346, C: *μακαρίαν ὄψιν τε καὶ θέαν — εἶδον.* Quod significat Jamblichus Myster. Aeg. I, 12, p. 23: *ἐν γὰρ τῷ θεωρεῖν τὰ μακάρια θεάματα, ἡ ψυχὴ ἄλλην ζωὴν ἀλλάττεται·* et totum locum perperam cum Metrodori Epicurei sententia continuavit Clemens Alexandrinus, aut librarius, in ejus Strom. V, p. 614, B.

P.

P. 314. Τῇ ὑστεραίᾳ ᾗ ᾖ τὰ ἐπινίκια ἔθυεν. Formam conſtructionis attigit Bastius in Appendice Epistolae Criticae Praefat. p. VII.

P. 327. In Theophrasti Hist. Plant. IX, 17, et Dioscoridis IV, 79, *Chii* disſenſu codicum dubiam habent lectionem, ut, pro iis *Cei* ſubſtituendi videantur. Nam et pronunciandi in his vocibus idem fere fuit ſonus: et credibile est Ceorum fuiſſe inſigne prae caeteris ſtudium colendae componendaeque cicutae, propter morem antiquitus apud eos vigentem, ut ſenes ſibi ſponte ſumenda cicuta mortem expedirent. Quo de more tradit Strabo X, p. 744, ſeq. apponens Menandri verſus: Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι, Φανία, Ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς: item Aelianus Var. Hist. III, 37: Heraclides de Rebuspublicis p. 516, ubi perperam *Cois* tribuitur, ut monet Holſtenius ad Stephanum Byz. voce Ἰουλίς. Omnino ſaepe in libris confunduntur *Chii*, *Cei*, *Coi*: quo pertinent dicta Villoiſoni in Actis Academiae Inſcript. T. XLVII, p. 325: et de prioribus duobus populis notum illud Ariſtophanis Ran. 1001: Πέπτωκεν ἔξω τῶν κακῶν, οὐ Χῖος ἀλλὰ Κῖος Itaque ſimile mendum ſuſcepit Meleagri Epigramma CXXII, quod ſub Antipatri nomine est in Anthologia Brodaei III, 6, p. 312; unde distichon ſaltem apponemus:

Γή-

Γήραϊ δ' ἢ νούσω βίον ἔλλιπες; Ἤλυθον ᾅδαν
Αὐτοθελεὶ, κείνων γευσάμενος κυλίκων.

Ubi iſtud *κείνων*, quod male habuit interpretes, mutandum in Κείων, i. e. *Cea gustans pocula.* Ad eamdem cauſſam pertinet, quod est apud Stobaeum Florilegii Tit. VII, p. 90, de Eraſiſtrato, Medico illo, ut videtur, quem alii Κεῖον alii Κῶον patria faciunt: Ἐρασίστρατος ὁ Χῖος ἤδη γηραιὸς ὢν, ἕλκος ἐπὶ τοῦ ποδὸς ἔχων· Εὖ γε, εἶπεν, ὅτι τῆς πατρίδος ὑπομιμνήσκομαι· καὶ κώνειον πιὼν κατέστρεψε.

P. 330. Eldikius haec annotavit: „ in Gregorii Nazianzeni loco ἐπειδὴ δὲ προσηνέχθη „ τὸ κώνειον, δέχεται μάλα ἩΔΕΏΣ, non „ necesſe quidem ut ſcribatur, nescio tamen „ an olim ad Platonis Plutarchique rationem „ ſcriptum fuerit ΙΛΕΏΣ."

P. 334. Συνέλαβε τὸ στόμα καὶ τοὺς ὀφθαλμούς. Alius etiam in adverſariis erat locus Joannis Chryſostomi, Homil. Antiochen. XX, p. 222, F, ſeq.: ἡμεῖς δὲ αὐτὴν καταλείψαντες ἀπελευσόμεθα, καὶ οὐκ ὀψόμεθα ἐκπνέουσαν, καὶ τὰς τελευταίας ἀφεῖσαν φωνάς; ἀλλ' αὐτὴ μὲν κατ' ἑκάστην ηὔχετο τὴν ἡμέραν ἡμᾶς δὲ (f. αὐτῆς) ὀφθαλμοὺς καθελεῖν καὶ στόμα συνελεῖν, καὶ περιστεῖλαι, καὶ τὰ ἄλλα πάντα πρὸς τὸν τάφον ἐπιμελήσασθαι. κ. τ. λ.

Haec

Haec igitur nostrae editionis et descriptio fuit, et accessio. Quod si quaedam etiam sint recentiores Phaedonis editiones, quae ad notitiam nostram non pervenerint, nec ad usum à nobis adhibitae sint: de quo statuere non possumus; non dubitamus fore, ut docti quidem et prudentes lectores, ea quae desunt nostrae operae, iis quae adsunt compensaturi sint.

II.

DAVID RVHNKENII, LVD. CASP. VALCKENAERII *et aliorum ad* **IOH. AVG. ERNESTI, EPISTOLAE.** *Accedunt* **DAV. RVHNKENII** *Observationes in Callimachum.* **L. C. VALCKENARII** *in Thomam Mag.* et **IOH. AVG. ERNESTI** *Acroasis inedita. Ex autographis edidit Joh. Aug. Henr. Tittmann. Prof. Lips. Lipsiae apud Gerhardum Fleischerum jun.* 1812. 8. *pagg.* 204.

Cenfurae huic fubjicitur:

Defensio Batavorum contra Tittmannum.

Philomathiae Sodales Lectoribus S.

Quod de fuis Fabulis dixit Phaedrus: *Duplex libelli dos est: quod rifum movet, Et quod prudenti vitam confilio monet:* hujusmodi quid nobis ad hunc libellum in diverfo genere accidit. Nam et Epiftolae fcriptaque doctorum virorum haud imprudentem habent doctrinae admonitionem: et editor nobis rifum movit in praefatione fluctus quafi in fimpulo excitans, Ba-

Batavis literatoribus ut iratus Jupiter ambas buccas inflans, eosque immisericorditer ad proletarios abjiciens. Caeterum libellus quum prius nobis quam Philomathi in manus incideret, isque, oculorum infirmitati parcens, eum legere supersederet, nos ei inde particulas et argumenta narrantes paulatim in eam sententiam inducti sumus, ut judicaremus reprehensionem, quamvis deridendam, tamen refutandam esse, idque nos acturos affirmaremus. Tum ille „Vos vero, inquit, vestro arbitratu defendite existimationem Batavorum nostrorum: de me quidem hoc unum agite, ut ostendatis quantum a veritate aberret reprehensor dictitans me osorem Germanorum, Ernesti adulatorem et calumniatorem: qui nullum umquam populum odi, neminem umquam hominem adulari potui; indeque mihi multorum invidiam contraxi: Ernestum autem et vivum et mortuum, ut nemo alius magis, ex vero aestimavi, miratus sum, laudavi." Nos igitur ad propositum veniamus, et primum de Epistolis et scriptis virorum doctorum, deinde de praefatione editoris, videamus.

Primae sunt Epistolae Ruhnkenii, numero tredecim, a pagina 1 ad 40, scriptae ab anno MDCCXLVIII ad MDCCLX, omnes fere de instituta Callimachi editione, ad quam Ruhnkenium Ernesto plurimum adjumenti et copiarum contulisse apparet: quaedam etiam, quae non illius no-

nomine insignita sunt: de quibus ille Ep. XII. p. 37, sic ad Ernestum: „ In notis tuis ubique summa humanitate erga doctos homines „ usus es: erga me quidem nimia; sic ut paucorum etiam locorum, quos Tibi suggesseram, indicium mihi tribueris. Verum cum „ non consueverim laureolam in mustaceo quaerere, nomen meum passim delevi. Ex talibus nihil mihi laudis vel accrescit vel decedit. Tibi vero, qui editoris partes sustines, „ ne levia quidem sunt praetermittenda." Aliarum rerum rara et brevis injicitur mentio: v. c. Epistolarum Criticarum Ruhnkenii: ejusdem peregrinationis Parisinae: delati sibi muneris Lectoris LL. Gr. in Academia Leidensi: de Corradi libro Quaesturae Ciceronianae priore parte recens reperta augendo: de nova editione operum Xenophontis, et Animadversionibus in Lucianum, ab Ernesto destinatis: caet.

Sequitur epistola una J. R. Ernstii ad Ernestum data Groningae d. VIII Jul. a MDCCLII. Fuit is Bernas Helvetius, auditor et familiaris Danielis Wyttenbachii patris, S. Ministerii Candidatus, Graece doctus, et bene idem Latine scribens, ut testatur haec et alia ad Reiskium scripta epistola indidem ejusdem anni Kal. Jun. edita in Vita Reiskii p. 539. Tunc literatum, quod vocant, iter, ut solent Helvetii liberaliter instituti adolescentes, per cultiores Eu-

Europae regiones faciebat; Lipfiâ, ubi Ernesti et Reiskii confuetudine ufus erat, per Hamburgum et Bremam, venit Groningam: ibique plures menfes degens Franequeram excurrit ad Valckenarium, ab eoque Ernesti nomine rogavit, ut huic annotationes fuas in Callimachum imperitiret: quo de negotio praeftat ipfius Ernstii verba referre: „ Petii quidem Tuo nomine, ut „ Tecum quidquid hujus laboris esfet, com„ municet: fed impetrare non potui; quod „ pleraque fatis tumultuarie ad juvandam folam „ memoriam in fchedas conjecta esfe diceret, „ nec haberet quidquam claborati. Ait tamen, „ fi gratum Tibi id fore intellexerit, per lite„ ras Tecum de Callimachi quibusdam vexatio„ ribus locis esfe acturum: non ut ipfe, quum „ Tu eum auctorem es editurus, in fcena com„ pareat publice; fed ut anfam praebeat me„ ditationi Tuae, eique quodammodo fubfer„ viat. En fpecimen, quod ut ad Te mitte„ rem, potestatem mihi fecit Vir Clarisfimus". Subjectae funt duae emendationes, Epigrammatis XLIII et Fragmenti Bentleiani CXLVI, tum commemoratio fragmenti apud Tryphonem p. 579. edit. Ern. de quo, quid judicet Ernestus, fcire fe avere profitetur Valckenarius.

Hinc duae fuccedunt Valckenarii Epiftolae: altera fcripta Kal. Octobr. a MDCCLII, habet quatuordecim circiter in Epigrammata et Fragmen-

menta correctiones: altera, edito jam Callimacho, Cal. Aug. MDCCLXI, habens notationem decem circiter locorum, de quorum curatione ab Editore dissentiret. Ex utroque verba quaedam apponere juvat. Exordium prioris hoc est:
„ Bene sit Ernstio, qui tuam mihi benevolen„ tiam sic paraverit, eas ut ad me dares lite„ ras humanitatis plenas, quibus nihil acci„ dere poterat huic homini jucundius: sed illud „ Ernstium scripsisse nolueram, libenter me „ meam de vexatioribus Callimachi locis sen„ tentiam ad Te perscripturum. Sunt enim „ non pauca, quibus illuminandis ego quidem „ prorsus impar, Te solum idoneum judico. „ Gratulor Callimacho, quem Tu, Virorum „ praestantissime, Tibi sumseris expoliendum. „ Meas animadversiones, quas Tecum communi„ cari benigne petis, exspectare noli. Tenta„ mina quaedam critica libenter ad Te perscri„ bam ea lege, ut si quid his insit, quod et „ verum videatur, et Tibi forte non in men„ tem venerit, his, quando commodum erit, „ utaris tamquam tuis: reliquis, quae minus „ probantur, rejectis et ne memoratis quidem. „ Si quid etiam fragmentorum est in schedis, „ quod à Bentleio sit praetermissum, colligam „ aliquando Tecumque communicabo: sed hoc „ quidquid est, erit non magni sane quam mo„ menti." Haec autem Callimachea sua anno-

ta-

tata Ernestum non desiderasse, diserte ad ipsum scribit in altera Epistola p. 53: „Operae nunc „ occupantur in Herodoti libro VI. In VII, „ VIII, IX, Tu si quid habes exquisitius, ut „ habiturum Te confido, quod meis observa- „ tis intertextum non nolis, id, quaeso Te, „ mecum communica. Libenter mea quoque „ misissem, si desiderasses, in Callimachum „ observata; qui poëtam illum olim non indi- „ ligenter tractaveram. Eorum partem tum à „ Te, tum ab amicis aliis, in hac Tua editio- „ ne splendidissima, occupatam vidi, νὴ τὰς „ Μούσας, ὄμματι μὴ λοξῷ."

Deinceps sunt quatuor Musgravii, anni MDCCLVII, et MDCCLVIII, una Oudendorpii a. MDCCLV: una P. Burmanni, ejusdem anni: sex J. J. Breitingeri, ab a. MDCCXLVI ad MDCCL: una Barsotti, qui lectiones codicum Vaticanorum Ernesto miserat, ut ipse narrat in Praefatione Callimachea p. *5: porro, una Wyttenbachii a. MDCCLXXVI: denique una Francice scripta Oliveti, Parisiis d. IX Aug., anni nota omissa. Quae omnes Epistolae quum fere magis sint officiosae quam literatae, earum argumenta referre nil attinet.

Subjiciuntur alia scripta. Primum schedae Ruhnkenii cum Ernesto communicatae à p. 92 ad 136. I. Variae lectiones Codicis Regii, in Callimachi Hymnis et Scholiasta. II. Annota-

tiones in Callimachi Epigrammata. III. Ad Callimachi Epigrammata et Fragmenta, et Hymnos. IV. In Epigrammata, è Salmasiano exemplo Anthologiae ineditae, Parisiis sibi emto. V. Quatuor alia Epigrammata aliorum, suo ordini restituta. VI. Ad Callimachi Fragmenta. VII. Variantes Codicis Leidensis in Aristophanis Nubes. VIII. Variantes Angeli Caninii editioni adscriptae. IX. D. Ruhnkenii Notulae in Scholia. X. Danielis Heinsii Notulae adscriptae in editione Frobeniana Aristophanis Nubibus. Et Callimacheas quidem Ruhnkenii schedas, jam ab Ernesto ad usum adhibitas et editas, quare rursus totas ediderit Tittmannus rationem reddit in notula p. 96: „ Hae annotationes et sequentes mutatae non „ uno loco reperiuntur in editione Callimachi, „ nonnullae omissae, aliae sine Ruhnkenii no„ mine repetitae sunt. Sed nomen quidem „ suum Ruhnkenium ipsum extinxisse (immo „ *delevisse*, *induxisse*) ipsius verba docent in „ Ep. XII: vide supra p. 112. Et ipse etiam „ observationes suas remissas mutasse et auxisse „ videtur: quod in Vita Arati, quam infra ex „ ipsius Ruhnkenii schedis repetimus, manifes„ to factum est. Certe nihil inscio Ruhnkenio „ Ernesti (quidni *Ernestus*, vel *Ernestius?*) „ mutavit aut omisit: omnia enim ad illum hic „ misit, ut typis exscriberentur." Similis est no-

notula editoris p. 106. ad *Vitam Arati*, quae cum notis Hemsterhusii et Ruhnkenii tota reponitur ex editione Callimachi p. 590: „ Exscripta quidem est haec Vita Arati in editione „ Callimachi Ernest. T. I, p. 590: sed eam „ repetendam tamen duxi hoc loco, non modo „ quod in iisdem schedis scripta erat, sed quod „ Ruhnkenii et Hemsterhusii ad eam annotationes differre intellexi ab illis quae editioni subjectae sunt. Quas ne Ernesti arbitrio mutatas quis putet, ipsa comparatio impediet, „ quum secundas illorum virorum curas luculenter prodere videantur. Quod supra etiam „ de fragmentis et annotationibus ad Callimachum observavi (immo *monui*, vel *observasse me scripsi*, *dixi*)." Nostro quidem judicio, editor emtoribus lectoribusque magis consuluisset, si eos tantum locos edidisset, in quibus schedae ab editione differebant; quid enim attinebat omnia edita rursus apponere? aut, si tamen omnes schedas edere volebat, saltem locos ab editione differentes notasset. Nunc omnia reddens, simul quaerendi laborem lectoribus reliquit.

Tria sunt reliqua capita. XI. Excerpta Codicum Ambrosianorum Mediolanensium in Callimachum. XII. L. C. Valckenaerii Adnotationes ineditae in Thomae Magistri Eclogas a p. 141 ad 188, a hoc margini, ut solebat, exem-

pli ſui obiter inſcriptae; itaque ſubinde obſcurae; an hoc exemplum ex auctione Luzaciana, aut unde, editor nactus ſit, non dixit. XIII. Acroaſis coram Celſisſimis Principibus, Domino Friderico Christiano Electoratus Saxonici herede, ac Domino Xaverio Saxoniae Duce, clementisſimis Dominis recitata d. xv Octobr. A. C. MDCCXLIV, à Io. Augusto Ernesti Humanior. Literar. Prof. Argumentum est, *De artibus politicis, quibus Caeſar Augustus uſus est in ſummo imperio Romae ſibi comparando*: quod, licet notum et ab aliis ſaepe tractatum, tamen ab Ernesto, ut omnia in disſerendi genere ſcripta, tanta cum judicii et orationis facultate explicitum est, ut vel decies lectum repetitumque placeat.

Caeterum deſideravimus Indicem rerum et verborum, debitum illum hujusmodi argumenti libro et necesſarium ad eum commode legendum ac pervolvendum; quod dudum verisſime dixit vir magnus, Jacobus Gothofredus Opusc. Minor. p. 358, librum omnem ſine Indice prope inanimum esſe et cadaver.

Veniamus ad praefationem, quae continetur epistola ad Heynium. Neque tamen hic eam legisſe videtur, praepeditus quippe urgente fato. Principio editor ſupercilium tollit, vultum ad ſeveritatem componit, ut lectores ſuspenſos teneat quorſum habitus animusque iste eva-

evafurus fit: qui mox evadit in agrestem ac ftolidam infectationem Wyttenbachii et literatorum Batavorum. Initium repetit a contemtoribus Ernesti p. IV: „ quem plerique fpernere didi-
„ cerint, aetate noftra, multique, quem vivum
„ adulati fuerant, mortuum *lacesfere* confueve-
„ rint; ut parum abfit, quin Ernesti Graecas
„ literas ignorasfe vel pueris videatur" — p. X.
„ in judicio de Homeri editione ferendo, de
„ qua tam iniquos judices Ernesti habuit, ut
„ etiam pueris vix Hagerianae praestare videre-
„ tur." Haec ad Germanos pertinere posfunt: ad Batavos non posfunt; quippe apud quos Ernesti memoria, magis quam apud alios populos, ut viri fummi et accurata elegantique doctrina meritisfimi, grato animo colitur, ejusque fcripta frequenti ufu teruntur. Homeri autem editio quatuor abhinc annos in auctionibus quinquaginta, Ciceronis altera triginta fex florenis vulgo vendebatur. Caeterum et haec Tittmannus nesciebat, et mortuos non *lacesfi*, fed vivos; fiquidem hoc verbum valet *provocare*, *excitare*.

Jam aures arrigite Batavi Literatores, eâdem enim ignorantiâ editor in vos invehitur: „ Sed
„ alia", inquit p. X. „ est accufatio, quam
„ contra illum proferre folent, eaque tanto
„ fpeciofior, quanto quisque ex grege philolo-
„ gorum ad invidiam ipfe pronior est. Dicunt
„ nimirum, virum illum aliorum doctisfimorum

 „ ho-

„ hominum copiis, quibus ipse careret, uti
„ potuisse, sed eas aut ultro oblatas repudias-
„ se, aut in scriniis suis retentas aliis invidis-
„ se, aut etiam petere ab aliis noluisse, ne
„ ipsius paupertas ab illorum hominum divitiis
„ obscuraretur. Quae accusatio à nemine atro-
„ cius quam à Wyttenbachio prolata est in vi-
„ ta Ruhnkenii, cujus summa familiaritate usus
„ esse videtur. Scripsit enim p. 155, ad Xe-
„ nophontis Memorabilium editionem quintam
„ Ernesto ab Ruhnkenio varias codicum scrip-
„ torum lectiones ipsiusque animadversiones mis-
„ sas esse, eumdemque Valckenaerio persuasis-
„ se, ut et ipse suas annotationes adjungeret.
„ Sed quoniam Valckenaerius, dum Xenophon-
„ tis locos attingeret, simul Ernestum candide
„ et simpliciter reprehendisset, eaque censura
„ huic minus grata accidisset, parum abfuisse
„ quin totam Valckenaerii operam ab instituta
„ editione excluderet; Ruhnkenii tamen arbi-
„ trio factum esse, ut partis, qua ipse corri-
„ geretur, rationem haberet quantam ipse vel-
„ let, omissa Valckenaerii mentione; at sub
„ hujus nomine adderet reliquas annotationes,
„ quae ad ipsum Xenophontem referrentur;
„ atque ab illo tempore Valckenaerium inter et
„ Ernestum, quamquam nec antea fuisset amo-
„ ris ardor, magis etiam frigus et suspicionem
„ fuisse. Sed huic narrationi quanta fides ha-
„ ben-

„ benda ſit alia accuſatio oſtendit, quam de
„ Callimacho adverſus Erneſtium protulit."

Hoc vero nobis nec opinatum accidit, quod in libro de Vita Ruhnkenii jam per quindecim annos cognito et per totam Europam lectione literatorum hominum celebrato, horum nemo illas de Erneſto narrationes invidiae accuſavit: ſed primus tam acute videre ſibi viſus eſt Tittmannus: isque Profeſſor Lipſienſis idemque, ut fertur, Theologiae Doctor, adeo inconſiderate garrit et falſo impudenterque in Wyttenbachium invehitur quaſi *accuſatorem* Erneſti: quem nemo magis quam Wyttenbachius miratur et laudat, ſuisque diſcipulis legendum imitandumque commendat: quemque ideo in Vita Ruhnkenii cum hoc ipſo, Valckenario, Hemſterhuſio, Albertio, comparasſet vera aeſtimatione, non falſa laudum praedicatione; abundantem quippe propriis laudibus, quibus eas, quae ei deesſent, ita compenſaret, ut omnium conſenſu, magni et ſummi viri nomen tueretur. Quod ſi non animadvertit Tittmannus; aut non potuit, aut noluit, animadvertere; igitur aut hebes, aut malevolus, eſt. Sed videamus, primo de Xenophontea accuſatione, deinde de Callimachea.

Ergo ſi alii item dixerunt, quod T. ſignificat, Erneſtum oblatis ſibi virorum doctorum copiis uti noluisſe easque repudiasſe, idem à

Wyttenbachio dictum, idcirco minus ab eo fictum haberi debet. At, inquit, a nemine, quam a Wyttenbachio, *atrocius* prolata est haec *accusatio*. Atqui haec non est *accusatio*, sed narratio, relatio; narratur enim res sine accusatione aut reprehensione. Neque *atrox* est; quipppe quae non habet crudelitatem aut immanitatem, quae cum atrocitate conjunctae sunt: sed est simplex, *ἄκακος*, diserta. Reprehensor autem verborum proprietatem Latinam non satis tenere videtur: quod et supra vidimus: et mox videbimus, ubi dicit *ne illius paupertas illorum hominum divitiis obscuraretur*: dicendum erat *in i. h. d. appareret*, aut *ne illius copiae obscurarentur*; sic sane Ernestus scripsisset, et postulabat ratio verborum ajentium et negantium. Porro Tittmannus invidiose egit, quod omisit verba Wyttenbachii proxime antecedentia, quae valebant ad benevolentiam ei conciliandam, qui mutuo utriusque amori suffragaretur: sunt autem haec —: „ Ernestum vehementer diligebat, cum quod ab illo ipse diligeretur, tum quod eos quaedam animi et elegantis doctrinae similitudo conjungeret: et quandoquidem is Xenophontea Memorabilia saepius edidisset, sed pro more ipse suo et levi apparatu: cupiebat Ruhnkenius Ernestum nova editione operae pretium facere, suaeque ipsum existimationi apud peritos quidem ju-

judices consulere, eique, ad ornandam novam editionem varias scriptorum codicum lectiones et suas ipse animadversiones submittebat." Quod autem narravit Wyttenbachius non modo à Ruhnkenio, sed a Valckenario etiam, acceperat: qui id non ipsi soli, sed aliis quoque narraverant. Et tamen hujus narrationis fidem T. labefactare studuit comparando eam cum narratione de editione Callimachea. Quod quam belle fecerit, age videamus. Sic igitur pergit.:

„ In hac enim editione paranda et adornan-
„ da, ita fere Ernestium cum Ruhnkenio et
„ Valckenaerio egisse scripsit W. p. 79. seq.
„ *ut soleat superbus discipulus cum doctiori*
„ *magistro*, *non autem amicus cum amico*,
„ *vir doctus cum viro docto agere*. Nam non
„ solum Ruhnkenii aliorumque facultatem,
„ *quam sibi deesse sentiret*, argutando elevare
„ illum studuisse in Praefatione ad Callima-
„ chum, sed ipsius Ernesti notulas, Ruhnke-
„ nio et Hemsterhusio monentibus, locupletatas
„ quidem, sed ad illorum virorum rationem
„ ingenio et doctrinae ubertate nihil fuisse,
„ neque à Valckenario quid adjumenti, non
„ quod hic nollet dare, sed quod ille nollet
„ rogare, intelligens suas copiolas in tantis au-
„ xiliis obrutum iri. Sed quanta injuria Wyt-
„ tenbachius haec *ad Ernesti nomen post mor-*
„ *tem ejus minuendum* narraverit, facile cog-

„ nos-

„ nosci potest, et Ruhnkenii et Valckenaerii
„ epistolae de hoc toto negotio luculentisſime
„ ostendent. Primum enim verba illa in Prae-
„ fatione ad Callimachum non niſi *callidisſimus*
„ *obtrectator* isto ſenſu dicta putare potest,
„ quum nihil magis a vero, imo ab recta ra-
„ tione abhorreat, quam Ernestium eo ipſo lo-
„ co, quo Ruhnkenii de Fragmentis Callima-
„ chi merita celebraret, facultatem illam, qua
„ merita illa maxime conſtarent, elevare vo-
„ luisſe. Neque parva illa vocavit, ut Wyt-
„ tenbachius *calumniatus* est, ſine quibus maxi-
„ ma neminem conſequi posſe ipſe Ernesti pro-
„ be intellexit, et in elegantisſima oratione de
„ doctrinae accuratae et promtae laudibus lu-
„ culenter demonſtravit; imo excuſare ſe tan-
„ tum vel ingenio, vel tempore ſuo voluit,
„ quod à veterum et rariorum verborum foe-
„ toribus eruendis et tractandis abhorreret. —
„ Sed notas, quibus Ernestus Callimachum
„ ornavit, Ruhnkenio et Hemſterhuſio ne tunc
„ quidem probatas fuisſe, postquam eos illo-
„ rum virorum auctoritate locupletasſet, *quam*
„ *verum ſit*, ipſae Ruhnkenii epistolae demon-
„ ſtrant, ex quibus omnia, quae de Callimacho
„ inter illos Triumviros gesta ſunt, cognosci
„ posſunt."

Haec tota pars, ut caeterae, inſectationis Tittmannianae, plena est calumniae et impu-
den-

dentiae. Primum ea ejus verba notemus, quae obliquis literis retulimus, deinde totum locum Wyttenbachii ex vita Ruhnkenii apponamus, ut cum ista insectatione conferri posſit. Nam illa de ſuo addidit insectator, *ita fere cum Ruhnkenio et Valckenaerio egisſe Ernestum, ut ſoleat ſuperbus discipulus cum doctiore magistro, non autem amicus cum amico, vir doctus cum viro docto agere:* cujus dicti nec vola nec vestigium reperitur in Wyttenbachii libro. Quo Tittmanni commento quid calumniofius esſe potest? praeſertim quum conjunctivus *ſoleat* hunc adferat ſenſum, quaſi haec ipſa ſint verba Wyttenbachii. Melius fecisſet T. ſi plura, et in his temporum modorumque conſecutionem, ab Ernesto didicisſet, quam ſe, quaſi illum defendens, Thraſonis inſtar jactaret. Tum: *quam ſibi deesſe ſentiret* mutilatum est: W. cum reverentiâ erga Ernestum ſcripſit: *ignoscamus viro caeteroquin magno, qui facultatem, quam ſibi deesſe ſentiret, argutando elevare maluit:* omiſit prima verba T. invidiae augendae cauſſa. Wyttenbachium vero illa narrasſe *ad Ernesti nomen post ejus mortem minuendum*, multis partibus mentitus est T. Omnia enim narrata ſunt ad veras Ernesti laudes declarandas, non ad falſas ei affingendas: omnia ſimpliciter et ad veritatem dicta ſunt, argumento et materia libri non ſolum invitante, ſed et jubente: dicta ſunt,

funt fic, ut fi quae laudes ei defuisfent, hae magnitudine caeterarum ejus laudum ita compenfarentur et cumularentur, ut ei magni et fummi viri nomen asfereretur, nec à quoquam umquam certiore verioreque aestimatione praedicaretur quam a Wyttenbachio. Tantum igitur abest, ut *Epistolae Ruhnkenii et Valckenaerii ostendant, haec Wyttenbachium ad Ernesti nomen post ejus mortem minuendum narrasse*, ut potius ostendant Tittmannum hoc ftulte fimul et malitiose effutiisfe. *Verba autem Ernesti in Praefatione ad Callimachum non nifi callidisfimum obtrectatorem isto, quo W. fecit, fenfu dicta putare posfe*, haec fponte in ipfum T. recidunt. Nemo enim nifi ftultisfimus obtrectator, illa Ernesti verba alio, quam quo Wyttenbachius accepit, fenfu accipere potest. Sed hujus fui effati duas rationes affert T: „ *quum nihil magis* ", inquit, „ *a vero, imo ab recta ratione abhorreat, quam Ernestium eo ipfo loco, quo Ruhnkenii de Fragmentis Callimachi merita celebraret, facultatem illam, qua merita illa conftant, elevare voluisfe.*" En Dialectici acumen! Prima ratio est, *quia hoc a vero abhorret.* Atqui id ipfum demonftrandum erat. Nifi forte, ut folet notiones turbare, *verum* pro *verifimili* pofuit. Sed fortasfe primam rationem per alteram demonftrare voluit, fic: *à vero abhorret; quia ab recta ra-*

ratione abhorret Ernestium — elevare voluisse. Hoc rursus ambigue dictum, utrum, *nos à recta ratione abhorreremus, si putaremus Ernestum — elevare voluisse:* an vero, *Ernestus à recta ratione abhorruisset — si elevare voluisset.* Utroque autem modo T. hanc opinionem anticipavit, *Ernestum — elevare non voluisse:* quod T. demonstrare debebat, nec demonstravit: demonstrandum pro demonstratione posuit; igitur dialecticum vitium, petitionem principii, commisit. Caeterum, quamvis Ernestum hanc colligendorum Fragmentorum operam, quae in singularibus verbis eruendis consumitur, non nominatim *parvam* vocavit, tamen sic de ea locutus est, quasi eam negligendam et parvam duceret, nec W. hoc nomine utens calumniatus est, nec verba Ernesti in alienam sententiam pervertit, sed in suam veramque interpretatus est.

Denique, quod postremo illo loco dixit T, temere et stolide dictum est. Multa enim et diserta sunt indicia in his ipsis Ruhnkenii Epistolis, ex quibus apparet, hunc saepe Ernestum flagitasse ut suas notulas locupletaret, etiam tunc, quum operae typographorum jam ad Hymnum in Dianam pervenissent: quae deinceps apponamus: Ep. VII, p. 27: *Notae Tuae in Callimachum, noli dubitare, Vir Summe, quin, quo erunt longiores uberioresque, eo fu-*

tu-

turae sint gratiores. Ep. VIII, p. 29: *Tantum igitur spatii cum Tibi, mi Ernesti, tributum sit, indulge ingenii Tui ubertati, sic ut non solum de Callimacho, sed de omnibus Graeciae veteris scriptoribus praeclare mereare: indulge etiam aureae, qua polles, eloquentiae, ut alii hinc in posterum eleganter commentandi exemplum sumant. Scribant breves notulas, quibus curta domi suppellex est. A Te, quem antiquitatem omnem, capitali ingenio complexum scimus, non nisi Excursus, quales in Suetonium dedisti, exspectamus.* Ep. X, p. 32: *Commentatione ad Callimachi Epigramma, nihil in hoc genere vidi elegantius. Utinam omnes Callimachi locos, qui aliqua difficultate laborent, tam fuse illustrares. Nam ut longas aliorum notas plerumque respuo, sic Tuarum notarum longissimam quamque optimam judico.* Ep. XII, p. 37, eximie laudans missas ad se ab Ernesto observationes in Callimachum, tamen illum rogat, ut eas augeat missis ipsi à se et Hemsterhusio supplementis: *Quo praestantius igitur nobis opus Tuum visum fuit, eo majorem operam dandam putavimus, ut ne levissimi quidem naevi in tam pulcro corpore relinquerentur. Notulas nostras in adjectis schedulis reperies, praebituras Tibi largam, ni fallor, disputandi et Callimachum castigandi materiam. Itaque*

que δευτέρας Φροντίδας, quibus priores observationes vel augeas vel emendes, à Te avide exspecto, quas ego deinde locis suis diligenter accommodabo. Praestat enim illas suo loco, quam in addendis, legi. In notis Tuis ubique summa humanitate erga doctos homines usus es: erga me quidem nimia, sic ut paucorum etiam locorum, quos Tibi suggesseram, indicium mihi tribueris. Verum, cum non consueverim laureolam in mustaceo quaerere, nomen meum passim delevi. Ex talibus nihil mihi laudis vel accrescit, vel decedit. Tibi vero, qui editoris partes sustines, ne levia quidem sunt praetermittenda. Vellem, si per alia tua negotia liceret, unum alterumve Excursum adderes, v. c. de Pelagonibus, de quibus multa dicenda supersunt. Nam ubi Tu rem latius tractare instituis, mihi quidquid est eruditorum hominum superare videris. Ep. XIII. p. 40. scripta a. MDCCLVIII, d. XXIV. *A Te brevi luculentum notarum Tuarum supplementum exspectamus. Operae excudunt initium H. in Dianam.*

Ergo plane confirmatur, Ernestum ab Ruhnkenio admonitum ut uberiores notas scriberet, ad locupletandas suas ad hunc missas et ab hoc valde laudatas observationes, ab eodem et Hemsterhusio supplementa accepisse, eaque largam materiam disputandi et Callimachum castigandi

I prae-

praebentia. Nonne haec prorſus conveniunt, cum iis quae W. in Vita Ruhnkenii ſcripſit, quae quam calumniatorie perverterit ac negaverit T., ut intelligatur, ipſa Wii verba apponamus, p. 79: „ Ernestus ſuscipit hanc editionis provinciam, nec multo post mittit ad Ruhnkenium notulas ſuas, tenues illas valde et exiles, ſed ſatis, ut ipſe quidem putabat, ad novae editionis ac recenſionis nomen parandum ac tuendum. Ruhnkenio iſta notularum levitas inexſpectata accidebat: dat eas Hemſterhuſio legendas: huic item videtur: ergo de communi ſententia eas Erneſto remittunt, ſuadentes ut, quoad poſſet maxime, eas doctrinae copiis augeret, ſignificantes ſimul copiarum petendarum fontes, porro monentes ut à Valckenario etiam opem peteret, quem in primis ad ornanda Fragmenta egregium emendationis et interpretationis apparatum habere. Facit Ernestus. Redeunt notulae paulo locupletiores, probabiles judicio et diligentia, ſed ingenio et doctrinae ubertate nil ad horum rationem triumvirorum: nec à Valckenario quid adjumenti: non quod hic nollet dare, ſed quod Ernestus nollet rogare, intelligens ſuas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri. Haec qui noverit, jam intelliget quo pertineat Erneſti de Veterum fragmentis judicium in praefatione Callimachea proditum: — *In Fragmentis Callimacheis erunt forte qui co-*

copiosiores notas datas velint; quibus me non contemtu excusare cupio; quod possim forte, favente majore doctorum hominum parte, facere. Valde enim vereor, ne plerique sint in ea, qua Kusterus fuit, sententia, qui ad Suid. II, *p.* 327, *non postulandum putabat, ut corruptas et laceras veterum Scriptorum reliquias emendaremus et explicaremus, putentque in iis bonas horas non valde bene consumi, cum nec sententiae saepe admodum probabiles insint, nec verba aliam, quam interdum raritatis, commendationem habeant. Atque ipse non dubito fateri, me semper maluisse libris veterum Scriptorum integris legendis ingenium ad copiam rerum et verborum alere, et ad elegantiam cogitandi ac dicendi acuere et polire, quam in veterum et rariorum verborum, ut Augustus vocabat, foetoribus eruendis, cum Grammaticis veteribus, ingenium et tempus meum, quod sic satis exercitum habeo, vexare.* Eloquenter sane, partim prudenter, partim callide nec satis vere: ignoscamus viro ceteroquin magno, qui facultatem, quam sibi deesse sentiret, argutando elevare maluit: et Ruhnkenii magis miremur ingenium, qui et parva illa, quae Ernestus vocabat, sed sine quibus maxima nemo consequi potest, intime perspecta pertractataque habuit, et tamen legendis integris veterum Scriptorum libris ingenium ad copiam rerum et verborum aluit, et ad cogitandi di-

dicendique elegantiam acuit et polivit. Sed referamus ultimam ex Ernesti praefatione partem, veriorem illam denuo et aequiorem: *Quo magis gratum*, inquit, *et nobis fuit, et lectoribus fore confido, quod Cel. Hemsterhusius, qui omnes Graecae literaturae recessus tenet, et dignus tanto magistro discipulus Ruhnkenius, his fragmentis aliquid lucis et ornatus ab doctrina sua accedere voluerunt. Atque utinam mihi otium tantum fuisset, ut magis uti in hac parte potuissem consilio Cel. Valckenarii, cujus ille mihi copiam humanissimis literis fecit; profecto, ut intelligi potest ex iis, quae de sententia ejus in notulis meis subinde dixi, multum lucis accessisset his fragmentis ab ejus recondita et accurata in his literis doctrina.*"

Haec hactenus ex Vita Ruhnkenii; nam reliquos Ernestinae praefationis locos ibi citatos referre, nil attinebat; quippe qui sunt de laudibus Ruhnkenii, ejusque in Callimacheam editionem meritis, quae à nemine in dubium vocantur. Apposuimus verba quamvis plura, ut appareret, quae Ernesti, quae Wyttenbachii essent: quae T. commiscuit, ut hunc eo probabilius calumniaretur. Nonne igitur luce clarius est, Ernestum hanc operam, in ejusmodi fragmentis eruendis positam, argutando callide elevare voluisse? Hujus judicii fidem unicuique Latine scienti, nec sensu communi carenti, facit ipse

ad-

adſpectus et lectio illorum verborum. *At*, inquit T., *nihil magis à vero, imo ab recta ratione abhorret, quam Ernestum eo ipſo loco, quo Ruhnkenii de Fragmentis Callimachi merita celebraret, facultatem illam, qua merita illa conſtarent, elevare voluiſſe.* Istius futilitatem ratiunculae ſupra excusſimus. Neque etiam Ernestus affirmabat omnem operam Ruhnkenii et illorum virorum in fragmentis ad ſola minima et verborum foetores referri. Quid ergo fecit Ernestus? Dixit libere, quod ſentiebat, ut item W. fecit in Vita D. R. Nam et hic et nos, ſi optio detur, malimus illam Ernesti facultatem. Sed Ruhnkenius utraque valuerat: idque in ejus Vita non reticendum erat. Notulas porro remisſas ab Ernesto, *nil fuiſſe ingenio et doctrinae ubertate ad rationem horum triumvirorum*, id est non comparandas cum notis, quales Hemſterhuſius, Valckenarius, Ruhnkenius, ſcribere ſolebant, quivis rerum peritus agnoscit; fuerunt enim hae ipſae quae nunc in editione exſtant. Illud quis reprehendere posſit, quod W. dixit, *nec à Valckenario quid adjumenti*; quippe quum Valckenarium aliquoties citet Ernestus in ſuis notis, ut qui ſibi ſententiam ſuam de dubiis locis impertiverit. Atqui vix ſunt duodecim hi loci, et ſententia Valckenaerii plerumque uno aut altero verbo ſignificata; ut hoc tam parvum adjumen-

tum pro nullo potuerit haberi. Neque etiam Valckenarii nomen, ut contra Hemsterhusii et Ruhnkenii, in titulo editionis positum est; perinde quasi nil à Valckenario adjumenti accessisset

Quod vero deinceps posuit W. *non quod hic nollet dare*, *sed quod Ernestus nollet rogare*, *intelligens suas copiolas in tantis auxiliis obrutum iri*, id, more suo, verbose ac superbe T. infectatur: ubi haec attendisse satis erit: „ Sed quum Valckenaerii ", inquit, „ epistolas „ legerint ingenui homines, statim et Ernesti „ nomen ab illa turpi suspicione liberabunt, et „ illius viri audaciam mirabuntur, qui quum „ ex Ruhnkenio meliora scire posset, quae „ falsissima sunt in hominis integerrimi oppro„ brium projecit. Fatetur enim Valckenarius „ se ab illo rogatum, negat se multa daturum, „ Quid faceret Ernesti? — " Videtur quidem ex his Valckenarii Epistolis apparere, eum ab Ernesto rogatum esse: sed hanc rogationem deinde vel retractatam vel cohibitam fuisse, pluribus aliis indiciis ostenditur, quae mox exponemus. Nullam vero turpem suspicionem in Ernestum conjecit W, dicens, illum Valckenarii auxilia noluisse assumere, intelligentem in iis suas copiolas obrutum iri; potuit enim Ernestus probabiles habuisse rationes, quare suas copiolas obrui a Valckenarii copiis, et hanc

ac-

accessionem Valckenario debere, nollet: quale fuit in Orpheo ornando, Gesneri et Ruhnkenii negotium: in Herodoto, Wesselingii et Valckenarii: quorum narratio negotiorum huic Callimacheo confertur et subjicitur à W. in Vita D. R. p. 83—89: quod T. non dissimulare debebat. Neque vero turpem suspicionem in Ernestum conjecit: nec suspicionem; nam narravit ea, quae saepius Ruhnkenium et Valckenarium narrantes audiverat: nec turpem, quod nomen addidit T., ut invidiam Wo. conflaret; quum tamen ipse, addito hoc nomine, Ernestum turpiter fecisse arguat; si quidem eum id fecisse apparuerit. Nonne igitur, ut Ti. verbis utamur, ingenui homines, quum rem cognoverint, statim et Wi. nomen ab ista turpi suspicione liberabunt, et Ti. audaciam mirabuntur, qui Wo. ea narranti, quae saepius Ruhnkenium et Valckenarium narrantes audiverat, et quae aliis indiciis confirmantur, audaciam objicit, et falsissima eum in hominis integerrimi opprobrium projecisse mentitur. An vero in diminutivo *copiolis* aliquid vel turpitudinis vel offensionis inest; quae minor aut nulla fuisset, si W. dixisset *parvas copias?* At hoc quidem nugatorium est: et Ernestus ipse suas notas *notulas* vocat. Valeat hoc in minutis hominibus, ut aliquid dissimulando eorum existimationi consulatur: in magnis quidem viris, in quibus

 recte

recte Ernestum numeramus, vere et simpliciter omnia memoranda sunt, nec verendum est ne notularum tenuitas reliquis illorum laudibus ac doctrinae magnitudini obsit.

Pergit T. quaerere, qui factum sit ut Ernestus, quum Valckenarium rogasset, parum retulerit: quas ratiunculas referre non opus est: in his haec saltem Ti. verba animadvertamus: „ Certe si utramque Valckenarii epistolam „ comparamus, vix intelligi potest quomodo „ excusemus ea, quae à Valckenario scripta „ leguntur in Observationibus ad Callimachi „ Elegiarum Fragmenta à Luzacio editis p. „ 210: *Callimachea quum sub auspiciis Er-* „ *nesti renovarentur, hic meas secum ut con-* „ *jecturas communicarem rogavit: unas ad* „ *ipsum dedi literas, quibus priora tantum* „ *carminum fragmina sumseram tractanda,* „ *hujus generis centena daturus, si fuissent* „ *desiderata, sed ad istam epistolam respon-* „ *sum demum accepi, nec sane mirabar, quum* „ *Callimacheis jam recentatis donarer.* Er- „ go rogavit Ernesti, sed missa sunt tantum „ paucissima: exspectavit Valckenaerius ut ille „ denuo rogaret et tertium et deinceps, donec „ singula centena extorsisset. Non fecit Er- „ nesti; quid enim faceret, quum humanissi- „ me roganti prima statim epistola fuisset nega- „ tum? Habent nunc in manibus epistolam

„ illam

„ illam aequi judices: videant uter superbius
„ egerit, Valckenaerius, qui non nisi saepius
„ rogatus bona sua impertire Ruhnkenio amico
„ voluerit, an Ernesti, qui ne saepius rogan-
„ do instaret, ipsa, quam in eo maximam fuis-
„ se scimus, verecundia impeditus potest vide-
„ ri. Dabimus, utrumque humani quid pas-
„ sum esse, Ernestium, quod repulsa offensus
„ denuo rogare noluerit, Valckenaerium au-
„ tem, quod rogatas primum negaverit, effe-
„ ceritque ut ille dare hunc nolle crederet,
„ quod vel ex amico communi sciret plurima
„ eum dare posse: concedemus quoque" — caet. Nam caeteras nil attinet reponere ratiunculas vanas et in Valckenarium injuriosas. Hic vero vel unus Valckenarii locus satis debebat valere ad Tittmannum veriora docendum, nisi plane prae ira et invidia in Wyttenbachium coecutiret. Nunc vero sunt duo alii ad hanc caussam pertinentes loci, iique diserti, quos per easdem animi labes non viderat, aut non meminerat: alter Valckenarii in Ep. II, p. 55: *Libenter mea quoque misissem, si desiderasses, in Callimachum observata, qui poëtam illum olim non indiligenter tractaveram:* scripsit autem haec Valckenarius, postquam ab Ernesto exemplar editionis dono accepisset: alter locus est ipsius Ernesti in pagina ultima illius praefationis: *Atque utinam mihi otii tantum*

 fuis-

fuisset, ut magis uti in hac parte potuissem consilio Cel. Valckenarii, cujus ille mihi copiam humanissimis literis fecit; profecto, ut intelligi potest ex iis, quae de sententia ejus in notulis meis subinde dixi, multum lucis accessisset his fragmentis ab ejus recondita et accurata in his literis doctrina.

Haec igitur T. antea animadvertere debebat, quam frivola convicia in W. jaceret; atque *dans, utrumque et E. et V. humani quid passum esse*, ipse inhumanissimum quid pateretur, et Wum temere ac maledice carperet; quod ea dixisset, quae nisi verbis, tamen sententia et re cum duumvirorum illorum dictis convenirent. Jam quid T. dicat, cum bellam suam argumentationem claudicare ostendimus? Nam quum duae sint Wi in Vita D. R. narrationes, quas T. criminatur, altera de Xenophonte, de Callimacho altera, illam per hanc redarguere instituerat p. XI, ubi egregiae scilicet suae argumentationi hanc formulam praefatur: „ sed huic „ narrationi quanta fides habenda sit, alia accu- „ satio ostendet, quam de Callimacho adversus „ Ernestium protulit." Ergo confutata Callimachea Ti. criminatione, jacet item Xenophontea, et tota conclusio.

T. tamen, ut valens nimirum dialecticus, non desinit eadem crepare; sic enim p. XVII: „ — arbitramur potius, omnes, cum Germa-

„ nos,

„ nos, tum Batavos intellecturos adverſus ho-
„ minem mortuum, quem amaret et coleret
„ Ruhnkenius, nihil iniquius ab eo dici po-
„ tuiſſe, qui vivum amplisſima reverentiae ſig-
„ nificatione adulatus esſet." Atqui et nos arbitramur, omnes Batavos et Germanos intellecturos adverſus hominem vivum W., quem Ruhnkenius vivus amasſet, et intima familiaritate complexus ésſet, nil iniquius nec ſtultius ab eo dici potuiſſe, qui ſe Ruhnkenium amplisſima reverentiae ſignificatione coluiſſe ſimularet. Istud vero *adulationis* crimen iterat T. p. XIX; quamvis impudentisſime illud ementiens. Itane tibi, Tittmanne, Profesſori Lipſienſi ac S. S. Theologiae Doctori, impune mendacia jacere licet? Cedo unum locum in ſcriptis Wi, ubi is Ernestum adulatus ſit! An in epistola illa, quam tu nunc in tuo fasciculo edidisti? Atqui hanc totam mera et ſimplex veritas occupavit. Scripſit eam W. honestisſimo conſilio, quamvis ſine fructu, ut Ernesto duos homines egregie literatos, eosque Germanos, meliore fortuna et profesſoriis cathedris dignos, Bangium et Wagnerum, commendaret: ſibi ipſi nihil gratiae aut beneficii Ernestum rogavit: putabat ſibi bene esſe in Batavia: et ſi manere noluisſet, patebat ei patria Berna, ubi cives eum ſui ſemper deſiderarunt: in epistolae exordio Ernestum à doctrinae praeſtantia laudavit, et quod ex ea fructus ipſe

Ipse magnos percepisset, gratum illi animum testificatus est, omnia vere, sincere et procul ab adulatione: vocavit eum virum summum, antistitem Literarum; item et similiter eum vocarunt Ruhnkenius, Valckenarius, et alii, sine ulla prorsus adulationis suspicione. Quam epistolam hic reponere nolumus; et quia longior est quam pro finibus huic Philomathiae libro destinatis; et quia in reliquis his virorum doctorum ad Ernestum epistolis uniuscujusque lectioni patet. Proximis annis MDCCLXXVII et MDCCLXXVIII, W. in tribus prioribus Bibliothecae Criticae Partibus tres censuras prodens editionis Ciceronianae ab Ernesto factae, iisdem tunc publice, quibus antea privatim, laudibus doctrinam viri et merita celebravit, liberaliter item et vere, atque adeo sine adulatione, ut multis in locis ab illius judicio dissentire se ostenderet. Sed fortasse W. tantummodo de vivo Ernesto, non item de mortuo, honorifice locutus est, quod reprehensor T. insimulat! Legat quis nobis ea, quae de mortuo Ernesto dixit: quae, quia non omnibus prae manu sunt, ea hic nos apponere operae pretium est.

Bibliothecae Criticae Vol. II, Part. II, p. 139: „ Hac nos Ernesti mentione admonemur, ne antea finem imponamus huic Parti, quam de illius obitu dixissemus: non quidem ut referamus de eo tamquam de re nova; quippe diu est quod

quod percrebuit tristis nuntius: sed ut dolorem nostrum prodamus, ad ejusque societatem bonarum Literarum amantes vocemus; neque reticendo sensu nostro, aliis videamur carere sensu, quo praeditos esse decet cultores earum Literarum, quarum praecipuus antistes fuit Ernestus, quae molliunt mores, nec sinunt esse feros. Ergo vana fuerunt vota nostra, quae pro vita ejus fecimus in censura operis Ciceroniani. Jam enim eo tempore instabat fatalis hora, qua primo corpus labefactaretur, mox illud ingenii Literarumque lumen exstingueretur. Nos quo minus in laudes Viri digrediamur, prohibemur et loco et facultate. Et speramus non defuturum idoneum laudatorem ejus viri, qui per Elogia tot alios immortalitati commendavit, quorum nemo fuit, qui uberiorem quam ipse materiam Elogii praeberet. Verum tamen, quod Romanus Poëta de se ipse gloriatus est, se opus exegisse, quod *nec ignes, Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas*, quid impedit, quo minus augurio nos quodam ad Ernestum referamus? Venit quidem illa dies, quae nil nisi corporis hujus jus habet, et incerti finivit spatium aevi. Ille vero parte sui meliore superstes, et indelebile nomen assecutus, legetur quacumque humanior patebit orbis, non quidem à populo, qui Literas ad ludicram oblectationem referat, sed ab iis, qui an-

antiquam venustatem retineant, quique fructum ejus metiantur doctrina, cum eleganti, tum accurata."

Ibidem Vol. II, Part. III, p. 116: „Dum speramus, Ernesti, summi viri, memoriam ab homine docto ac diserto ita proditum iri, ut non tantum illius laudes celebrentur, sed ingenium, doctrina, mores, animus et vita eleganter accurateque describantur; adfertur hic ad nos libellus (C. L. Baueri et Aug. Guil. Ernesti) qui desiderium spei nostrae magis incendat, quam expleat. Sed tamen is cuicuimodi sit, eo minus potuimus facere quin de eo referremus, quo jucundior, in recenti etiam nunc dolore, recordatio egregii viri esse debet."

Poteratne sincerius amantiusque de Ernesto quidquam dici ab eo, qui illi non nisi fama cognitus esset, quique nullum ab eo beneficium, nisi legendis ejus libris, percepisset?

Nec minus postea quanta reverentia et quasi religione de eodem locutus est W. ubi dissensum ab eo suum declarare cogebatur: veluti de Lexico Hedericiano in Praefatione ad Selecta Historicorum Gr. p. XXVI: „Magnopere profecto de studiosa juventute meritus est Ernestus locupletando et purgando Lexico Hedericiano. Illiberale sit, eum ob ea, quae reliquit, vitia defraudare laude et gratia bene factorum: sed illiberale etiam non profiteri verum, praesertim ipso

ipso loco et utilitate discipulorum postulante. Magnus fuit vir Ernestus et omni laude cumulatus: cujus ego laudis si vel exiguam partem assequar, egregie mecum agi existimem. Sed in Graecis Literis quantum superabat Hedericum, quod sane magnum fuit spatium, tantum ipse superabatur ab Hemsterhusiis, Valckenariis, Ruhnkenius, Piersonis, Lennepiis, caet."

Jam in Vita Davidis Ruhnkenii, unde non nisi duos locos protulit T., eosque non satis sibi intellectos per invidiam calumniatus est, ut supra demonstravimus: in Vita igitur Davidis Ruhnkenii quot quantaque sunt quamque luculenta documenta, per quae W. testatum reliquit, non modo quam certa aestumatione, sed etiam quam honorifice de Ernesto et sentiret et judicaret. Ex quibus tres longiores locos referamus, omissis iis, quae paucis continentur verbis.

Igitur p. 38, de annotandi et adversaria conficiendi necessitate sic W.: „ Quis neget magnos fuisse viros Gesnerum et Ernestum, doctrinae praestantia et varietate, judicandi facultate, scribendi laude? Ut eorum in disserendo miramur diligentiam, copiam, subtilitatem, elegantiam, prudentiam, ita in animadversionibus ad Scriptores antiquos, in primis Graecos, veluti Gesneri ad Lucianum et Orpheum, Ernesti ad Homerum, Xenophontem, Callimachum,

quam-

quamquam ne illas quidem disserendi judicandique dotes desideramus, easdem tamen copiarum et apparatus penuria obscurari labefactarique videmus: quam sunt illi viri et sui quisque, et magis etiam Hemsterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii dissimiles? — Quid igitur? an Gesnerus et Ernestus antiquos Scriptores non assidue legebant? Vero, assidue legebant: sed parum annotabant: forte aliarum occupationum multitudine impediti: et ad plerasque etiam Scriptorum editiones faciendas subito et imparati accedebant —." Ibidem p. 114, in comparatione Ernesti et Alberti. „ — Ernestus à Literis ad Theologiam profectus erat, Albertius à Theologia ad Literas. In utroque apparuit illud: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.* Ernestus omne ab ineunte aetate tempus tribuerat Literis, maxime Latinis: ejus linguae scientia, Historiarum et omnis Antiquitatis cognitione, critica ratione, pulcri venustique sensu, rationis denique facultate, ita valuit, ut verissime in principibus harum laudum censeatur; et in principum adeo principibus censendus esset, si Latinis Literis par in eo Graecarum facultas Literarum, lectionis multitudini et varietati par fuisset excerpendi patientia; nam hoc in primis ei defuit, locupletium copia adversariorum. Caeterum ea aderat bene scribendi et disserendi facultas, quae non modo il-

illarum penuriam dotum obtegeret, sed Literas etiam Graecas complurium Scriptorum editione ad communem cognitionem studiique apud multos incrementum commendaret. Ad has dotes quum adjungeret Philosophiae cognitionem liberalem quidem et elegantem; poterat se vel Jureconsultum vel Theologum, quam primum hoc agere coepisset, profiteri. Et certe, ut nomen suum Theologiae dedit, ita statim in ea eluxit ac principatum obtinuit."

Ibidem p. 219, in comparatione ingenii et rationis. „Tota Ernesti, quamvis egregia, doctrina magis ratione quam ingenio constitit, magis in judicando quam inveniendo consumta est: emendationes locorum corruptorum, magnas quidem et acutas, per conjecturam haud scio an nullas protulerit. At egregia valebat judicandi facultate de aliorum inventis, de Scriptorum Editorumque dotibus et laudibus, de omni Antiquitatis studio; ut, si sola reliquisset Opuscula Oratoria et Philologica, solas item Praefationes, in primis Ciceronianam illam ad Stiglizium, immortaliter de Literis meruisse censendus esset."

Haec omnia insigniter ad laudem Ernesti dicta silentio premit T., et, quos hinc in meliorem sententiam interpretari debebat, duos reprehensos locos, identidem iterat et calumniatur: et hanc praefationis partem ridicule concludit: „In

„ qua quidem turpi obtrectatione nescio an „ plus superbiae et simulationis quam invidiae „ insit: hoc autem scio, Wyttenbachium hac „ narratione, sive vera sive falsa fuerit, pessi- „ mam apud Ruhnkenium gratiam initurum es- „ se, si is, homo integerrimus et amicorum „ suorum studiosissimus, rescire possit, quam „ inique ille amici nomen carissimum stringe- „ re, quin exscindere studeat." Videmur nobis plane vocem audire hominis, qui nuperrime ludimagister vel privatus paedagogus istam admonitionem discipulis suis ingerere solitus, *quid pater tuus de te diceret, si hoc sciret?* istam consuetudinem etiamnum tenet atque alieno loco usurpat. Sed praeterea ista Ti. verba duas alias habent ineptias. Prima est, quod illo disjuncto, *sive vera sive falsa fuerit*, relinquit eam veram esse posse; quod si vera fuerit, et Wyttenbachius hanc narrationem à Ruhnkenio acceperit: ut profecto eam ab hoc accepit: efficitur, ipsum Ruhnkenium pessimam apud se gratiam iniisse, et hunc hominem integerrimum, amicorumque suorum studiosissimum, inique amici nomen stringere, quin exscindere studuisse. Altera, quod ea dicit, quae ultro in ipsum T. recidunt. Nam „ in hac quidem Tittmanni turpi obtrectatione nescimus an plus superbiae et simulationis quam invidiae insit: hoc autem scimus, Tittmannum hac obtrectatione pessimam apud Ruhnke-

nium

nium gratiam initurum esse, si is homo integerrimus et amicorum suorum studiosissimus rescire possit quam inique Tittmannus iste amici ipsius Wyttenbachii nomen carissimum *stringere*, quin *exscindere* studeat." Et hoc scimus, Tittmannum hac turpi obtrectatione pessimam gratiam initurum fuisse apud optimum Heynium amantissimum illum Wyttenbachii, eique principem in Literis locum tribuentem. Sed de Heynii judicio postea dicemus. *Stringere* autem et *exscindere nomen* alicujus poetis relinquamus, apud quos haec adeo semel occurrunt : illud apud Ovidium Trist. II, 350 dubiam quoque habet lectionem: hoc alium eumque proprium sensum apud Silium Italicum VII, 643. Dicendum erat *perstringere* et *extinguere*.

Hactenus T. satis quidem inepte ac ridicule, sed nil ad proxima. Nam dum ita Wyttenbachium convicians eadem iterat verba, et quasi ipse quid velit nesciens et majus quid animo volvens, ultro citroque redit, tandem in totam Batavorum literatorum quasi familiam impetum facit, et sic infit: „ Sed salva res est. Non „ potest enim diutius dissimulari invidia illa, „ qua crescentem Germanorum philologorum „ gloriam Batavi persequuntur. Nam quum in „ omni scientiae et eruditionis genere ita excel„ lat nunc gens Germanica, ut si eas artes, „ quibus vitae humanae divitiae et voluptates

 „ au-

„ augentur, excipias, nulla verae doctrinae
„ laude inferior reperiatur —: tum in iis po-
„ tisſimum literis et artibus, quae — huma-
„ niores vocantur excolendis augendisque tan-
„ tum reliquas gentes ſuperat, ut, qui ſa-
„ piunt, non habeant quod iis invideant ſuper-
„ bisſimos triumphos. Nihil dicam de philo-
„ ſophia: — nihil de historia —: ſed philo-
„ logiae — philologiae inquam laude Germani
„ nunc ita antecellunt omnibus, ut etiam adver-
„ ſarii aut exteri; (quod nuper quendam publi-
„ ce feciſſe compertum habemus) confiteantur,
„ in una Germaniae provincia plures veros phi-
„ lologos quam in maximo Europae regno re-
„ periri. Quod vere a me dici, etiamſi Wytten-
„ bachius numquam ſibi perſuaſerit, tamen om-
„ nes intelligunt et lubenter concedent, qui li-
„ terarum incrementa non genti cuidam pro-
„ pria, ſed toti generi humano communia, un-
„ decunque proveniant, grati agnoſcere ſolent."
Eja vero Tittmanne: *Salva res est:* quaſi Germaniae ſalus agatur! et *Germani literis et artibus humanioribus tantum reliquas gentes ſuperant, ut qui ſapiunt non habeant quod iis ſuperbisſimos triumphos invideant.* Quid vero, ſi haec triumphorum ſuperbia cum cladibus Germaniae conjuncta ſit; tamenne tibi placebis et afflictam patriam conſolaberis Literarum principatu? quae istae ſunt nugae et vana verborum jactan-

jactantia? Quasi non principe loco sit patria, ejusque tuendae officium, ad quod omnia, etiam Literarum studia, tendere ac referri oporteat. Quis porro non videt ipsum T. ea invidia, quam Batavis objicit, torqueri, ipsiusque verba in ipsum valere: *Non potest enim diutius dissimulare Tittmannus invidiam illam, qua stantem florentemque Batavorum philologorum gloriam persequitur.* Tum istud totum mendacissime dictum est, *Wyttenbachium invidere Germanis philologis:* qui de nemine eorum male, de multis bene, meruit: cum multis etiam officiorum literarumque commercia colit. Jam istam laudationem principatus literarii Germanorum ex declamatiuncula quadam sua puerili transscripsisse videtur; igitur totam reponere noluimus. Illud manifesto apparet, Tittmannum suam ipsum patriam ignorare, qui putet eam *nunc demum* humaniorum literarum, historiae, et philologiae scientia excellere; quippe quae illarum scientia jam centum abhinc annos excelluit: adeo imprudens laudibus patriae, quas celebrare vult, detrahit. Quod autem Germanos literatores cum Batavis contendit numero, sane lepidum est; quum tota summa populi illius duodecies major quam hujus censeatur; ut adeo si hic duodecies pauciores philologos habeat, illi par et in pari ratione aestimandus sit. *Exterus* autem qui *hoc publice dixit*, fuit Gallus,

idque non de Batavia, sed de Galliae regno, audacius item quam verius, dixit; sunt enim, certe tunc fuerunt, in maximo illo regno plures, quam vulgo putatur, philologi: sed T., ut quae ante eum fuerunt, ita quae procul ab eo absunt, ignorat: nec umquam pedem extra Germaniam, aut adeo extra Saxoniam suam extulisse videtur. Postremum autem plane dementis est, ut is profiteatur, *literarum incrementa non genti cuidam propria, sed toti generi humano communia esse*, caet: hoc igitur ut is profiteatur, qui unice illud agit, ut ostendat literarum incrementa Germanis propria, nec Batavis aliisque gentibus communia esse. Literis vero, tamquam patriam, gentem aliquam assignare eamque sibi assumere et jactare, quam stultum et plebejum sit, compluribus locis ostendit W. Sic igitur Bibliothecae Crit. Part. I, p. 32: „ inconsiderati et parum res humanas callentis est, dicere, singulas Batavorum editiones ad eamdem rationem esse conformatas; ac si omnes, qui in eodem populo viverent, eadem Literarum studia, aut in iisdem studiis eamdem rationem, sequi necesse esset. Neque enim si v. c. in Germanis Ernestus et Heynius praeclare veteres scriptores interpretantur, continuo Fischerus, quia Germanus est, in ejusdem laudis societatem adjungitur." Item Part. V, Praefatione p. IV: „ Neque vero hoc ita acci-

cipi volumus, ac si constituissemus civibus nostris prae caeteris favere, eorum laudes celebrare, supra exteros extollere, reticere errores aut excusare. Quamquam hoc non infrequens est vitium eorum, qui censuras novorum librorum scribunt. Rempublicam literariam in classes describunt, non ut ingenii et doctrinae, sed nationum et regionum, censum sequantur. Hinc est, quod non raro videamus, hunc in modum ab iis pronunciari: *ita solent v. c. Britanni, ita Galli: nos melius.* Qui puerilis est error, nec aliunde profectus, quam ex rerum humanarum et communis vitae ignoratione. Sunt enim apud omnes nationes, qui melius, et qui pejus artem tractent: sunt vel principes, vel secundarii, vel tertiani, vel inferiores. Igitur classium habenda est ratio, non populorum: neque videndum cujas quisque sit, sed quid dicat. Fuit hic quondam Spartanorum mos, ut, si in conventu sociorum à legato ignobilis civitatis optima dicta esset sententia, eam continuo quidem negligerent, postea vero à Spartano iterum proponi juberent; ut prudentiae opinione auctoritatem patriae conciliarent. Valeat haec rivalitas in aliis rebus: à literis et doctrinarum studiis absit. Una est et communis bonorum Scriptorum civitas: cujus quidem jus non a vulgi opinione tribuitur, sed pariter doctrina diligenti, ejusque prudenti disertaque explicatione. Quibus virtuti-

bus ut quisque magis excellit, ita quemque nobiscum maxime conjunctum et civem nostrum arbitramur." Nec minus luculentus exstat locus in Vita D. R. p. 92: „Horum (Burmanni et Schraderi) amici dictitare non verebantur, Ruhnkenium magis Graecae quam Latinae cathedrae aptum esse, nec provinciam civibus debitam debuisse peregrinum occupare. Quae voculae ab insigniorine stupore an malevolentia profectae fuerint, difficile est statuere. — Peregrinitatis crimen reprehenso laudem, reprehensori dedecus habebat; erat enim invidiae à virtute superatae clamor, et in istam nativitatis gloriolam, ut in unicum praesidium, confugientis: erat mentis ad praejudicatas vulgi opiniones abjectae, necdum ab earum sordibus purgatae per liberalem institutionem et studium sapientiae: ignorabant naturam eruditae civitatis, cujus ipsi se cives profitebantur: ignorabant, in erudita civitate nullos esse Batavos, nullos Germanos, nullos unius alicujus populi cives, omnes esse mundanos. Quo nomine Diogenes stuporem cujusdam homunculi confutavit ei objicientis, eum non esse Atheniensem, *Atqui*, inquit, *multo praestantiorem patriam habeo*, *mundum*; *mundanus sum*, *non Atheniensis*. Caeterum peregrinitatis reprehensio in Ruhnkenium eo minus valebat, quod jam duodeviginti annos in Batavia degisset, eamque doctri-

doctrinae fama illustrasset, porro à principe Literarum Hemsterhusio veluti adoptatus esset: aut si valebat, debebat item valuisse adversus Wesselingium, Graevium, Gronovium, Vossium, Salmasium, Scaligerum, innumerabiles alios, in suo quemque genere principes: quibus et prudentissimi hujus reipublicae rectores, velut insignis beneficii, magnas habuerunt gratias, quod hanc potius quam aliam terram, ubi habitarent et doctrinam suam explicarent, elegissent. Sed istud, quidquid est, in peregrinos convicii, quippe non nisi in illiberali vulgo jactatum, nec auditum in elegantiorum humaniorumque consuetudine hominum, quibus cum vivebat Ruhnkenius, ipse nec audiebat, nec morabatur."

Poteratne disertius testatum relinquere W. quantopere istam popularis rivalitatis stultitiam contemneret? quae testimonia ignorans aut dissimulans Tittmannus, ipseque ista stultitia misere laborans atque adeo insaniens, quum eam passim Wo. objiciat, quid, ut istius verbis utamur, *de illius audacia dicemus?*

Jam eo pervenit T. quo pervenire dudum gestiebat; ut Literarum principatum à Batavis abjudicaret, Germanis adjudicaret. Qua in re ridiculum in modum ipse cum umbra sua pugnat. Sic igitur pergit p. XXII. „ Olim in Batavis „ veluti sedes Philologiae fuit, et Hemsterhu-

„ fii, Valckenarii, Ruhnkenii, et aliorum glo-
„ ria, etiam proletarii quique illius gentis li-
„ teratores fruebantur; *ut Graecum nomen*
„ *quisque olim apud omnes gentes superbius*
„ *jactabat.* Germanorum tum quidem, nisi ig-
„ nobiliora, certe minus splendida in illo li-
„ terarum genere studia fuerunt: Gesnero et
„ Ernestio, vix par quisquam in Germania —
„ Gesnerus ille quidem in Universitate Geor-
„ gia Augusta, quam Tu, V. C., nunc cum
„ maxime ornas, philologiae princeps exstitit:
„ apud nos ex Ernesti schola numerosa proles
„ exiit hominum, qui verae philologiae laudem
„ in Germania propagarunt et auxerunt. — In-
„ terea apud Batavos clarissima quaeque lumi-
„ na interierunt, apud reliquas gentes ad eas
„ potissimum artes, quibus opes et honores pa-
„ rantur, conversi sunt animi: ipsi Britanni,
„ paucissimos Bentleii similes habent. Sed
„ haec rerum conversio magnam nobis invi-
„ diam conflavit, apud Batavos potissimum,
„ qui nondum assuefacti videntur, ut palmam
„ illam, quasi hereditariam, in aliorum manibus
„ videant. Itaque nihil studiosius hi quidem
„ agere solent, quam ut nostros homines cum
„ illis principibus eruditionis dudum mortuis
„ comparantes, sibi gloriolam quaerant e com-
„ muni patria: aut scholam philologicam in
„ Germania, nescio quam cum Hemsterhusii,

„ Valc-

„ Valckenarii, Ruhnkenii, ſchola conferant
„ iniquius, cujus ipſi ſoli ex asſe heredes ha-
„ beri velint."

Haec ex eadem, qua priora, ignorantia et invidia fluxerunt. De triumviris illis ita loquitur, quaſi hi demum Batavae genti Literarum gloriam peperisſent. Atqui haec gloria jam ducentis abhinc et amplius annis à Justo Lipſio et Joſepho Scaligero exſtitit. *Proletarios* quosdam literatores dixit Ruhnkenius in his Epistolis p. 19, et Wyttenbachius in Vita D. R. p. 122. Sed T. qui ne *proletarius* quidem, ſed vix *capite cenſus* est, ſane impudenter agit, aliis objiciens quod ipſe facit, ſe *Graece* doctum *ſuperbe jactans*, et *gloriolam ſibi quaerens ex communi patria.* Illud autem, *ut Graecum nomen quisque olim apud omnes gentes ſuperbius jactabat*, nec ſenſum habens, et ſoloece dictum, hominis est, aut quid velit, ignorantis: aut quod vult, dicere neſcientis. Primo, *nomen Graecum;* an quaſi Graecus natione ſit, ut dicitur *nomen Latinum?* Deinde, *apud exteros:* an igitur hi proletarii Batavi ad exteros abierunt et *apud hos ſe jactarunt?* an in ſcriptis ſuis, quae exteri legebant, ſe jactarunt? ergo illa ſcripta cives Batavi non item legerunt? quoquoverſum verba vertas, nusquam ſana ſententia exiſtat. Fortasſe voluit, *Graece docti opinionem apud exteros captabat:* aut, *Graece docti nomen ad exteros jactabat.* Sic ſi dixisſet, dixis-

xisſet et Latine, et quod intelligeretur. Gesneri et Ernesti laudes nemo in dubium vocaverit: et W. eas ſaepe et ample praedicavit: illorum autem aetate illis *vix quemquam parem, et caeterorum Germanorum ſtudia minus ſplendida fuisſe*, temere et imperite, ut ab homine historiam literariam patriae ſuae ignorante, dictum est: ut mox item de Britannis. Sed his et aliis ignorantiae erroribus mox locum ſuum dabimus. Tum rurſus hoc plane ridiculum est, quod ait, *Batavos potisſimum invidere Germanis, quod palmam illam quaſi hereditariam in aliorum manibus videant.* Nos vero, qui ſumus et ipſi Batavi literatores, nec ipſi in animis nostris quid ſentimus invidiae de incrementis literatis Germanorum, nec alios Batavos illis invidentes novimus: nec *alios* illos novimus, *in quorum manibus ſit illa palma:* nec concertationem cum exteris, ſed ipſa nostra ſtudia, cogitamus: Germaniae quos habet viros egregie doctos gratulamur, nec invidemus: Tittmannum nec gratulamur, nec invidemus.

Deinceps T. analogiam Linguae Graecae à Batavis traditam ſugillat, in ſuam causſam, Batavorumque literatorum in reprehenſionem convertens querelam Joannis Luzacii effuſam in Praefatione ad Valckenarii Callimachea p. 32: „ disciplinam Etymologicam ſcholae Hemſterhu-

„ husianae interitui vicinam jam esse, quum ne-
„ mo unus repertus sit, qui illam *in formam*
„ *artis* redegerit, neque, ut hodie sunt tem-
„ pora, sperare liceat, ante Hemsterhusiano-
„ rum, qui pauci supersunt, fata, repertum
„ iri. — Literae sordent, nec sordent tantum
„ apud Batavos, sed jacent, prorsus spernun-
„ tur, et ab hominibus, quibus audacia pro in-
„ genio, frons pro pectore, temeritas pro con-
„ silio est, palam proculcantur. — Valckena-
„ rius tam bene inchoatum opus deseruit: in-
„ tra primas lineas substitit, neque ultra pro-
„ gressus est, viam aliis monstrasse contentus."
Quae ille de contemtu Literarum scripsit ab adversariae factionis hominibus cathedra motus; restitutus postea, contra judicasset. Analogia autem quamvis nondum in artis perfectae formam redacta, tamen iis, qui scienter ea utuntur, semper fructuosa est ad intelligendas origines et significationes vocabulorum. Quam in rem operae pretium est legere quae Wyttenbachius scripsit Bibliothecae Criticae Part. X, p. 124: Praefatione ad Selecta Hist. Gr. p. XXVII et sequ: Vita D. R. p. 27. Tittmannus vero sic de Analogia loquitur, ut qui eam penitus ignoret, nosque taedeat eum serio refellere. Saltem elegans dilemma referemus, quo hunc locum concludit: „ Sed" inquit „ osten-
„ dant nobis Batavi philologos, à quibus po-

„ pu-

„ pulares nostri superentur, non veteres illos, „ quorum veluti hereditaria gloria superbiunt, „ sed recentiores, qui verae philologiae lau- „ dem nostris praeripiant. Sin minus, certe „ demonstrent, qua ex parte linguarum disci- „ plina per scholam Ernestinam corrupta fue- „ rit." Jam ista quomodo cohaerent? Ergo si non possunt ostendere Batavi suos quosdam, qui Germanis laudem philologiae praeripiant, tamen debent demonstrare, qua in parte linguarum disciplina per scholam Ernestinam corrupta fuerit? Quid vero? si Batavi ostendunt suos quosdam, qui Germanis laudem Philologiae praeripiant, tunc non debent demonstrare qua in parte linguarum disciplina per scholam Ernestinam corrupta fuerit. Haec sunt hominis non modo Dialecticam ignorantis, sed ne naturali quidem et communi sensu ad argumentum concludendum praediti. Prius membrum habet provocationem ad pugnam: quam ab homine tam fatuo non accipiunt Batavi: posterius autem, quod continet praestantiam et utilitatem scholae Ernestinae, nemo Batavus literator in dubium vocat.

Hactenus de Batavis. Reliqua praefatio habet querelas de detrimentis Literarum Humaniorum in Germania. „ In scholis" inquit „ et „ gymnasiis quibusdam linguarum veterum stu- „ dia videmus aut cum rerum quarumcumque

„ je-

„ jejuna institutione commisceri, aut ita coli „ quasi plurimorum auctorum et voluminum „ vaga lectione veram eruditionem vel pueri „ sibi comparare possint. In Literarum Uni- „ versitatibus autem hi tantum a multis magni „ magistri habentur, qui rerum diversissimarum „ farraginem in librorum veterum interpreta- „ tione profundunt et auditoribus quis de qua- „ que re non quid quisque scripserit, denarrare „ sciunt —." Haec aliaque, quae nolumus referre, publicae institutionis vitia, quomodo cum illis humaniorum Literarum per Germaniam incrementis, eorumque tam effusa praedicatione conveniant, T. ipse viderit. Et quod etiam eos, qui rebus publicis praesunt, obtestatur, contra ipsum testatur. Sic enim infit: — „ Qua de re velim ego deprecari apud omnes „ qui praesunt rebus publicis, velim eos ob- „ testari, ne solam corporis fortitudinem in „ civibus quaerentes, illa exstingui studia pa- „ tiantur —" Est sane ridicula commendatio, quam ipse commendans suo exemplo refellit. Quis enim prudens rei publicae moderator ferat, ut sibi literae humaniores ab eo commendentur homine, qui ex earum studio inhumanus et sophista gloriosus ineptusque evaserit? et quis non istiusmodi ingenii perversitati robur corporis longe anteponat?

Sed cum multa nobis risum in T. praefatione mo-

moverunt, tum illud etiam, quod censoris personam is sibi sumsit, qui trium, quae in censore esse debent, virtutum nullam habeat, nec aequitatem, nec judicandi facultatem, nec rerum scientiam. Nam aequitatem, quam dicimus animi integritatem nullo affectu nec partium studio occupatam, quomodo ei inesse dicamus, quem vidimus manifesta invidia flagrare et odio in Batavos, amore et cupidate in Germanos? aut judicandi facultatem concedemus ei, quem passim judicio labentem et inepte argumentantem cognovimus? De rerum autem scientia, quam dicimus argumenti et caussae cognitionem, jam ostendemus eum sic disserere de literatoribus Germanis et Batavis, ut appareat eum ignorare quid sint Literae, qui Literatores Germani adeo, nedum Batavi.

Ac primum quidem, quum *Literae Humaniores*, de quibus hoc loco agitur, sint Graecae et Latinae, T. de solis cogitat Graecis, Latinarum nullam habet rationem. Quod et insignis est vel negligentiae vel ignorantiae, in quaestione de Literis Humanioribus alteram earum dimidiam partem praetermittere: et hebeti ingenio hominis, qui memorans Gesnerum et Ernestum (p. XXII) non animadverteret, se in Literis Latinis hos certe Germanos, ut earum scientiâ excellentes, Batavis opponere posse. Rursus in Graecis solam attingit Grammaticam: quae est sun-

fundamentum quidem caeterarum partium, sed ita demum si hae ei superstruantur: (quae sunt Scriptorum cognitio; Historia, Antiquitates; Philosophia, et aliae veterum artes ac doctrinae: ad has enim per Grammaticam, quippe per verba ad res, ducit rectum Literarum studium; eamque viam tenuerunt hi, quos solos nominatim laudat, viri, Gesnerus, Ernestus Hemsterhusius, Valckenarius, Ruhnkenius: quam viam non novit T, mere in verbis haerens; unde apparet quantis angustiis literae illius coarctentur.

Jam incredibile est ut ignoret literatores non modo exteros, sed etiam Germanos, atque adeo in sua ipse patria hospes sit. „ Germanorum " inquit „ tunc quidem (i. e. temporibus Hem-
„ sterhusii, Valckenarii, Ruhnkenii) nisi igno-
„ biliora, certe minus splendida, in illo Litera-
„ rum genere studia fuerunt: Gesnero et Er-
„ nestio vix par quisquam in Germania — "
Haec universe et indefinite dicta *vix par quisquam* sunt ejus, qui rem accurate nescit, ignorantiamque suam dissimulat. Quid ais T, horum virorum aetate, quae propemodum toto saeculo XVIII continetur, nulli fuerunt in Germania egregii in hoc genere Literatores? Quid Cellarius, qui adhuc vixit Gesnero adolescente? item Kusterus: Fabricius, quo nemo magis de Literis Graecis et Latinis superiore sae-

culo meritus est: alii Hamburgenses, Wolfii et Reimarus: caeteri, quorum vel nomina recensere longum est: Schoetgenius, Cortius, Longolius, Christius, Heusingeri, Leisnerus, Reiskius: tum plures, qui has Literas cum eleganter, tum ad rerum doctrinarumque scientiam accommodate tractarunt: Schwartzii, Janus, Zornius, Thryllitschius, Ayrmannus, Jablonskius, Heineccius, Bruckerus, Bayerus, Kappius, Menckenius, G. Matthiae, Wernsdorfii, Walchii, Stoschii, Krebsius, Schwebelius, Freytagius, Platnerus, Winkelmannus, Guichardus, Gottleberus, Reitzius, Morus, alii, qui Literis Humanioribus docendo scribendoque ita profuerunt, ut eorum nomina nominibus Gesneri ex Ernesti non ita temere obruenda essent. Sed, inquit, hos omnes recitare nolebam. Immo non poteras! chartae caeteroquin et verborum minime parcus: aut si nolebas, sponte injurius in civium tuorum famam fuisti.

Britannos de gradu dejicit paucis verbis, in quibus plures sunt rationis et orationis lapsus: „ *Ipsi Britanni paucissimos Bentleii similes habent*", quae est pars loci, quem supra, p. 154 totum apposuimus. Quid tum, si Britanni paucissimos habent Bentleii similes? Scilicet T. id eo valere putat, ut Britanni quoque illam, de qua loquitur, Literarum palmam Germanis conce-

cedere debeant. Scita, profecto, conclusio: quae saltem intelligeretur, si ita constaret: Qui populus plures quam alius populus Bentleii similes habet, hic ab illo Literarum palmam aufert: Atqui Germani plures habent Bentleii similes quam Britanni: Ergo Germani a Britannis Literarum palmam auferunt. Quamquam et propositio et assumtio reprehendi poterat: quibus confirmandis quum T. nil attulerit; tota ratiuncula, ut vana, repudiatur. Quare vero *similes*, ac non *pares* aut *aequales*? Nam quae eodem genere continentur omnia sunt *similia*, non item *paria*; *paria* quippe aut *imparia* fiunt diversitate graduum et magnitudinis; igitur omnes Literatores, magni et minuti, sunt similes, nec tamen *pares*. Deinde *habent*, quale hoc est Praesens? utrum simplex et absolutum, i. e. *hoc ipso tempore*, an latius patens, quod etiam partem proxime superioris temporis complectatur; nam accurate definiendum erat in ista, scilicet capitali! caussa, quando Germanis victoria parta, et invidia Britannorum ac Batavorum orta sit. Illud autem *ipsi Britanni*, illud inquam *ipsi*, unde ei excidit, nisi ex tacito quodam sensu et judicio excellentiae eorum in his Literis: quorum multi et nostra et Bentleii memoria fuerunt, qui prope ad hujus praestantiam accederent, omnino digni, qui nominatim commemorarentur, nec hujus

unius nomine prodito obscurari debebant: quod modo in Germanis, ut vidimus, fecit T, ignorantiam plerumque suam universe et ambigue loquendo dissimulans. Sunt igitur hi, nisi qui nos fugerunt, diverso quidem gradu, sed tamen eo, ut silentio nomina eorum premere inhumanum sit: Davisius, Hearnius, Needhamus, Mettairius, Wassius, Clarkius, Pearcius, Middletonus, Bryanus, Chishullus, Jebbius, Jortinus, Uptonus, Marklandus, Tunstallus, Taylorus, Mangeyus, Chapmannus, Squirius, Dawesius, Chandlerus, Hamiltonus, Toupius, Musgravius, Tyrwhittus, Burgessius, Porsonus.

Caeteros Europae populos prorsus tacet: ex quibus certe Itali et Galli non tacendi erant ab eo, qui illam, quam somniat, Literarum palmam caeteris abjudicare, et Germanis adjudicare vult. Primi seculo XV intermortua Literarum studia in vitam revocarunt Itali: ab his ad Gallos, ab utrisque ad Batavos et Germanos venerunt: Et quamquam elegans et vera illa ratio grammatica principibus restitutoribus, Politianis, Manutiis, Victoriis, Gallisque magno numero a Wyttenbachio Philomathiae L. II, p. 168 memoratis, quamquam igitur haec ratio, ab illis principibus instituta et exculta, sequentibus saeculis aliquanto minus frequentata est, tamen ne patrum quidem nostro-

strorum memoriâ, quae fuit *Gesneri et Ernesti aetas*, ita defecerat, ut Germanis cedere deberet. *Itali* citentur, Maffeius, Muratorius, Morgagnus, Caryophilus, Salvinius, Mazochius, Cocchius, Gorius, Corsinus, Facciolatus, Lagomarsinus, Bongiovannus, Ignarra, Fogginius, Bandinus, Morellius: *Galli*, Bouhierius, Vigniolius, Rollinus, Sallierius, Sevinus, Capperonnerius, Bimardus, Delanoius, Caylus, Danvillius, Crevierius, Brotierius, Seguierius, Barthelemyus, Monfauconus, fratres Lebeau, Brosfesius, Stoeberus, Brunckius, Schweighaeuserus, Larcherus, Villoisonus, Sanctocrucius, Chardonus, Rochettius, Boissonadius. Horum enim aliquot certe sunt palmares: caeterorum nemo tam a palma remotus quam Tittmannus.

Hic vero ipsos parum novit Batavos, quos profecto nosse debebat, censere eos et notare volens. Horum non nisi tres nominatim laudat, *Hemsterhusium*, *Valckenarium*, *Ruhnkenium*, horum, inquit, *et aliorum gloria etiam proletarii quique illius gentis literatores fruebantur*. — Quae ita dicta sunt, quasi putet Literarum principatum Batavis demum per illos tres assertum esse, et caeteros ejusdem aetatis et laudis socios paucos nec satis dignos fuisse qui cum his nomin-·-ntur. Horum utrumque magno in errore versatur. Nam Batavis laudem

 qui-

quidem Literarum jam pepererat Erasmus Roterodamus, quam deinde propagarunt Ceratinus, Nannius, Longolius, Janus Secundus, Tiara, Ratallerus, Cruserius, Suffridus Petri, Nansius, Hadrianus Junius, Pighius, Falcoburgius, Janus Dousa: principatus autem venit conditâ Academiâ Lugduno-Batavâ, constitutisque Literarum doctoribus, summis viris, primum Justo Lipsio, deinde Josepho Scaligero; à cujus fonte alii deinceps fluxerunt principes saeculo XVII, G. J. et Isacus Vossii, D. et N. Heinsii, Grotius, Rutgersius, Meursius, Arcerii, Putschius, Cunaeus, Scriverius, Salmasius, Cluverius, Boxhornius, Bodaeus Stapelius, J. Fred. Gronovius, J. G. Graevius, Thysius, Vlitius, Blancardus, Jac. Tollius, Meibomius, Munckerus, Ouzelius, Gallaeus, Schelius, Tennulius, Cuperus, Jac. Gronovius, Perizonius, Lambertus Bos: quorum certe dimidium principes, caeteri secundarii sunt. Saeculum vero XVIII illustrarunt sane Hemsterhusius, Valckenarius, Ruhnkenius, quos solos novit T. principes profecto, sed ut plures iis in lucis et principatus societatem accedant, veluti Clericus, Wopkensius, Haverkampius, Wesselingius, Dorvillius, Albertius, Burmanni, Cannegieterus. Dukerus, Drakenborchius, Saxius, Schraderus, Lennepius, Piersonus, Koenius, Abreschius, Hoogeveenius,

nius, Bondamus, Segaarius, Fonteinius, Nieuwlandus: quibus et alios recentiores addere poteramus, nisi T. cenſoria ſua arrogantia omnes post Ruhnkenium et vivos et mortuos è principe claſſe excluſiſſet: de quibus jam videamus.

Fatemur quidem, exteros, qui de noviſſimo harum Literarum apud Batavos ſtatu ex indice ſodalium tertiae Claſſis Inſtituti nuper apud nos creati ſtatuant, non valde honorifice de hoc ſtatu exiſtimare poſſe, quum in illo indice Horrearium ejusque conſortes Recenſentes agnoverint. Sed certioribus argumentis de literatura nostra judicandum est. Et primo negamus et pernegamus, Batavum hujus aetatis literatorem quemquam eſſe, quem T. prae ſe contemnere poſſit: ſive ſpectemus mortuos illo temporis ſpatio, ſive adhuc viventes. Mortui ſunt Santenius, Roverus, Saxius, Hana, Luzacius, Boschius, Derkinderenus, Waardenburgius, Kootenius; quos parum ornemus, niſi Tittmanno multis partibus doctiores fuiſſe dicamus. Vivunt, et porro vivant, qui ſcriptis item inclaruerunt ſuis: in Academia Groningana Dethoerius nonagenarius, ejusque collega Ruardius, in Franequerana Waſſenbergius, in Lugduno-Batava Wyttenbachius et Tollius, in Trajectina Heusdius: in Athenaeo Amſtelodamenſi D. J. Lennepius et H. Boscha: in Daventrienſi H. O. Sluiterus: Gymnaſiorum Rectores, Rotteroda-

mensis Nodellus, Zierickzeani Mahnius, Arnhemiensis Zillesenius, Zwollani Goudoeverius, Dockumensis Peerlkampius: rempublicam tractantes, Scholtenus, scriptor dissertationis de Theologia Ciceronis, Nobilissimus Lyndenus Dissertationis de Panaetio: porro recentissimi scriptores juvenes, Bakius disputationis de Posidonio; Netscherus de Oratione pro Archia; Baumhauerus Observationum Literariarum ad Ciceronis Academica, in Stoicorum doctrinam de Visis et Evidentia; Willetius editor et interpres Protreptici Galeniani: tum rei publicae tractatione defuncti Matthias Temminkius et Fred. Guil. Boersius; denique item privatus, primo loco nominandus, Graecae Linguae peritia et emendandi felicitate insignis, Hubertus Eldikius. Huc accedunt docti scriptores Actorum Trajectinorum. Mittimus plures, quos enumerare longum fit. In his quidem, quos nominavimus, quum et nos Philomathiae Sodales simus, malumus aliis judicandum relinquere, quam ipsi pronunciare, quo loco quisque eorum censendus sit. Qui vero horum scripta legerint, facile animadvertent, in hoc numero non deesse principes, caeterorum autem neminem non multis classibus Tittmanno praeponendum esse.

Sed quandoquidem Wyttenbachius et nominatim et in primis oppugnatur, ut nimirum hoc la-

labefactato caeteri eo certius à principatu excludantur Batavi, pauca de hoc dicemus Hic scilicet, *Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes Infra se positas: exstinctus amabitur idem:* hic jam quadraginta abhinc annos ut unus e Literarum principibus per omnes populos et homines literatos celebratus urit sua gloria plebeculam vana eruditionis opinione inflatam ejusque antistites Hortearios et Recensentes et Sycophantas; quod ipsis nec litat, nec adulatur, sed ut sunt vel indocti vel semidocti, ita indoctos vel semidoctos appellat. Hic jam puer Graecos Latinosque scriptores legere orsus, deinceps adolescens et juvenis horum, qui quidem cum doctrinae orationisque elegantia conjuncti essent, legit omnes, et hujus lectionis fructum retulit cum ad illarum linguarum interiorem grammaticam cognitionem, tum ad scriptores ipsos interpretandos et emendandos, tum vero ad rerum scientiam, Historiam, Philosophiam, caeterasque doctrinas et omnem antiquitatem. Accedebat facultas minime vulgaris eleganter diserteque Latine scribendi. Itaque mature principibus annumeratus est. Et quod Tittmannus (p. XXI.) alia in re dixit de Wyttenbachio temere et stulte, hoc vere et recte in illum accommodabimus. „ Quod vere „ à nobis dici, etiamsi T. numquam sibi per„ suaserit, tamen omnes intelligunt et libenter

 „ con-

„ concedent, qui Literarum incrementa, non
„ genti cuidam propria, sed toti generi huma-
„ no communia, undecumque proveniant, gra-
„ ti agnoscere solent." Ruhnkenii certe aucto-
ritatem non repudiabit T, quem et *principem* censet, et *candidissimam animam* (p. XVII) vocavit; nec dubitabit quin is, ut *princeps*, quid verum esset, judicare potuerit, et, ut *candidissima anima* pronunciare voluerit. Hic igitur diserte de Wyttenbachio ita locutus est, ut quem principe loco censeret, ad Timaeum p. 215: *In hac sententia*, inquit, *me valde confirmavit consensus Danielis Wyttenbachii, cui tantum tribuo, quantum eruditorum, qui nunc sunt, nemini.* Similia in R. scriptis passim occurrunt. Juvat vero etiam ex ejusdem ad Wyttenbachium epistolis quaedam proferre. Sic igitur ille ad hujus recens editam Epistolam Criticam a. MDCCLXIX. — „ *Lectus a me libellus Tuus, exspectationem, quam de eo Heynius noster fecerat, multum superavit. Nam, ut vere dicam, vix putabam in Germania esse, qui tantum in hoc genere saperet, et tantam Graecae linguae scientiam cum vera Critices ratione conjungeret. Miror lumen ingenii Tui, quod ex tot egregiis conjecturis elucet, sed multo magis miror rectum, in illa aetate praesertim, judicium. Ex his non fallacibus signis auguror, Te, si eumdem cursum tenueris, magnum*

num aliquando Literarum nostrarum decus et praesidium futurum.' Tu solus nimis demisse de Tua in his Literis facultate sentire videris. Verum scias, quod Quinctilianus simili in re dicebat, eum in Graecis Literis multum profecisse, cui Plato multum placeret. caet." Et vero Wyttenbachius eumdem cursum fideliter tenuit. Proximo anno R. de hujus in Latinis Literis progressibus sic ad eum scripsit: „ *In Latinis Literis quantum proficias vel literae Tuae ostendunt, quibus nego quidquam elegantius et Latinum magis scribi posse.* Edito Plutarchi libello de Sera Numinis Vindicta, anno MDLXXII, ad eumdem Amstelodami viventem scribens, haec posuit: „ *Plutarchus Tuus quanta cum ingenii doctrinaeque admiratione ab omnibus, qui recte judicare possunt, exceptus sit, non dubito, quin multis multorum literis cognoveris. Donaram exemplum intelligentissimo harum Literarum existimatori Claudio Salgasio. Is statim me jussit quatuor alia exempla Londinum mittere ut Anglorum cupiditati satisfieret. Qui librum Tuum ita probarunt, ut, si Tu in Plutarchi edendi consilio persisteres, fidem suam Salgasio adstringerent ad copias Anglicarum Bibliothecarum submittendas* " Tum a. MDCCLXXVII, ad W. orsum Bibliothecam Criticam scribere: „ *Remitto Tibi censuram Tuam, in qua vix reperi quod ca-*

calumniarer, nedum quod reprehenderem. Rectum certumque judicium Tuum: oratio elegans ac plane Latina. In qua Te tantum profecisse eo magis gaudeo; quod, me potissimum auctore, hanc bene scribendi laudem, caeteris, quae in Te sunt, ingenii doctrinaeque ornamentis, conjungendam putasti." Porro a. MDCCLXXVIII, edito Euripide Musgraviano: „ *Euripides Musgravii prodiit. Academia Oxoniensis me et Valckenarium exemplaribus donabit. Vellem Te nobis adjungerent, cum satis illis constet, tertium Te esse in Triumviris rei literariae constituendae.*" Hos locos ut nos in publicum prodere pateretur Wyttenbachius, ejus modestiam expugnavimus: in quo literatis hominibus nos gratum fecisse non dubitamus. Sed referamus testimonia vulgata. Christophorus Saxius, locuples sane testis, Onomastici Literarii Parte VIII, p. 383, cum alia diligenter et honorifice de Wyttenbachio narravit, tum haec: „ — *sic ad Ruhnkenium se applicuit, ut parentis eum loco haberet, ejusque haud dubie grandi studiorum et ingenii acuminis exemplo incensus, pari gressu celebritatem nominis ejus aequare coepit, ut ambo Duumviratus literarum dignitatem attingerent: vid. Cel. Ruhnkenius in Epist. Crit. I ad Valckenarium p. 94, et ad Timaei Lex. Plat. p. 215* " Sed fortasse hic propter communionem Batavae civitatis minus

nus integer judex habeatur: ecce Gallum, eumque eruditissimum, Villoisonum! qui in Praefatione Epistolarum Vinariensium, ad Serenissimam matronam Annam Ameliam, matrem Caroli Augusti, Serenissimi Ducis Saxo-Vinariensis, haec posuit: „ *Has conjecturas in Batavia natas esse suspicor, quae semper criticis viris et Graece doctissimis abundavit, sed numquam magis quam hodie, cum Ruhnkenio, Valckenario, Wyttenbachio etc., summis illis viris et supra nostras laudes longe positis, doctissimisque eorum alumnis ex hoc ludo, tamquam ex equo Trojano, prosilientibus, gloriatur.*" Poteramus aliorum etiam testimonia citare Gallorum Larcheri, Sanctocrucii, Boissonadii: poteramus et Britannorum, saepe quidem ab illis dissentientium, in Wyttenbachii laude consentientium: malumus Germanorum, quos ut populares Tittmannus contemnere non audebit. Sic igitur Schneiderus, in praefatione Fragmentorum Pindaricorum ad Mutzembecherum, coetus Lutheranorum Hagani doctissimum antistitem: „ *Habes in vicinia Tua Triumviros illos, summis et ingenii doctrinaeque laude florentes, Valckenarium, Ruhnkenium, Wyttenbachium, quos quidem hisce in literis regnare, nemo facile est, qui non confiteatur.*" Hoc scripsit Schneiderus jam tunc Graece multo eruditior certiorque Tittmanno judex, et scripsit a. MDCCLXXVI,

quum

quum, Wyttenbachius in hoc genere nil nisi Epistolam Criticam, et libellum Plutarcheum De Sera Numinis Vindicta, edidisset: nondum Bibliothecam Criticam, Philomathiam, Selecta Historicorum Graecorum, Plutarchi Moralia Opera omnia, Praecepta Logica, Dissertationes Philosopho-Historicas, Vitam D. Ruhnkenii, Platonis Phaedonem: nondum complures ejus discipuli disputationes elegante accurataque doctrina commendatas emisissent: quae omnia T. aut turpiter ignoravit, aut turpius etiam dissimulavit; praesertim quum in omnibus non modo exteris sed et Germanicis Ephemeridibus Literatis, Gottingensibus, Halensibus, Jenensibus, Erfordiensibus, aliis, ita celebrata et ut perfecti Critici opera commendata sint, ut neminem vel mediocriter doctum literatorem eorum notitia et laus quemquam fugere possit, nec nostrum sit, has laudationes referre. Juvat tamen apponere principis in Germania Literatoris Heynii, cui Tittmannus turpem istam adversus Wyttenbachium obtrectationem inscribere non dubitavit, Heynii, inquam, judicium et elogium de Wyttenbachio apponere, quod ille posuit in literis ad hunc missis cooptatum sodalem Classis Antiquarum Literarum Societatis Regiae Scientiarum Goettingensis: hoc igitur sic habet; *Societas Regia Scientiarum Goettingensis — Sodalium suffragiis et judiciis Virum doctissimum*

num Danielem Wyttenbachium, Professorem in Universitate Literaria Leidensi, accurata, subtili, elegante eruditione spectatum, priscae laudis Batavorum, principatum Literaturae Graecae et Romanae obtinentium, vindicem, in Classe *Antiquarum Literarum et Artium Sodalem, amicum sibi et familiarem literarum commerciis conjunctum, optat, legit, caet.* — Scripsit illa Heynius publica auctoritate Societatis d. IX Majii MDCCCXI.: privatim autem suo nomine epistolam addidit, unde saltem prima et postrema reponamus: *Praestantissime, amicissime Wyttenbachi! non est alius superstes, quicum pari affectus, officiorum, studiorum, necessitudine conjunctus sim, quam Tecum, Vir optime, multis nominibus mihi carissime, Literarum doctarum liberalitate et humanitate ornatissime. Non igitur mirabere, cum Societas Regia Scientiarum Goettingensis nova Classe Literarum Antiquarum et Artium aucta esset, principem Te mihi se obtulisse, quem ut honoris caussa cooptarent, et suffragiis suis sibi expeterent, Sodalibus meis persuasum irem.* — *Me autem de amicitia, qua me adhuc amplexus es, ita securum redde, ut quamdiu vixero, et post fata quoque, mei memoriam apud Te integram fore spondeas. Vale. Scr. Goettingae. d. X Maji.* 1811. C. G. *Heyne.* Hunc igitur virum, Wyttenbachii amantissimum, plenam in il-

illum contumeliarum et mendaciorum praefationem si quidem legit, quanta cum animi indignatione legisse credibile est? Unum, etiam addamus judicium viri omnis historiae scientissimi, C. Hulthemii, Rectoris Academiae Bruxellensis, qui, in Oratione a. MDCCCXIII habita, *Batavorum avita merita de Literis Graecis et Romanis* attingens, *haec illorum propria ac praecipua esse* pronunciat, *et hodieque apud eos haec studia excoli et florere praesertim Leidae in Wyttenbachi scholâ principe Europae.* Quid ad talium virorum praeconia dicat Tittmannus? Scilicet ringatur et ilia ei rumpantur. Wyttenbachius autem nec extollit animum laudatus a claris viris, nec demittit vituperatus a sycophantis, suum iter sequens et illud *Nec tardum opperior, nec praecedentibus insto.*

Caeterum Batavi, etiam si, contra quam ostendimus, nullos harum Literarum principes haberent, tamen studii earum et frequentiae principatum obtineant. Nullus enim facile est populus, in quo, pro numero civium, earum et tot sint cultores, et tanta ratio ducatur. Cujus rei in primis caussa est quod Batavi observantissimi sunt judicii morisque majorum suorum, qui hanc rem publicam fundantes simul liberali filiorum institutioni prospexerunt scholis constituendis, in quibus excolendi ingenii initium a Latinis Graecisque Literis fieret. Sic,

pau-

paulatim crefcentibus rebus, Gymnafia circiter quinquaginta, Academiae quinque exftiterunt, quae fane multitudo, pro angustis terrae finibus, et numero civium, fingularis et inufitata est. Gymnafiorum, quae et Scholae Latinae dicuntur, ea est ratio, ut cuique praefit Rector, fub eo Conrector, Praeceptor, faepe plures; non homines per infcitiam à Theologia repulfi ad Scholasticum opus confugientes, ut apud exteros pasfim fit: neque, quod Tittmannus de fua patria queritur p. xxxi, ubi *haec ftudia ab ejusmodi hominibus reguntur, qui philologiam, ut Candidati Ministerii, leviter tantum attigerunt, et aliquot annorum improbum laborem Rectorisque fuperbum imperium certa muneris facri fpe indigne perferunt:* fed homines ad talia docendi munera apti ac docti; unde hic magiftrorum Scholasticorum ordo apud nos non, ut apud exteros fere, contemnitur, fed merito fuo in primis honestus habetur. Hi ergo gradatim per clasfes pueros inftituunt in Latinae Graecaeque linguae cognitione, aliisque disciplinis huic aetati aptis, usque ad adolefcentiam et eum finem, ut discipuli fcholis Academicis interesfe easque percipere queant. Qui primum biennium fpatii Academici pergunt iisdem linguis ftudere: asfumunt Historias, Antiquitates, Philofophiam, Mathematica, alia, quae *propaedeutica* dicuntur et cenfentur. Tum ad propofitam

M fibi

ſibi quisque disciplinam ſe dat, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam. Sunt etiam qui praecipue operentur propaedeuticis, veluti Graecis Latinisque Literis, in iisque vitae tabernacula ponant, ut eas vel doceant ac profiteantur, vel ad ſui liberalem oblectationem adhibeant. Et quandoquidem hac etiam in parte mos majorum viget, ut omnes ſcholae in Academiis habeantur Latino ſermone, hic nobis mos eum adfert fructum, ut et conjunctio cum ipſis Latinis Graecisque Literis retineatur, et apud nos non modo Profesſores, ſed et Auditores, publice et privatim, commodius meliusque Latine loquantur, quam apud exteros, v. c. Germanos, quorum in Academiis, exceptis paucisſimis, fere omnes ſcholae, Germanice habentur, ut Latina lingua propemodum exſtinguatur, certe intermittatur. Neque vero ista nos labes premit, ut nostri magiſtratus, aulici, nobiles, omnino primarii Reip. dignitate viri, has Literas ut ipſis indignas et mere ſcholasticas contemnant: quam labem in Germania his obesſe ſtudiis queritur Tittmannus p. XXVIII. Apud Batavos *hoc caverat mens provida* Guilielmi I, ejusque conſiliorum ſocii et adjutoris Jani Douſae, qui princeps nobilitatis Batavae, et bellica fortitudine et civili prudentia et Literarum ſcientia praecipuus, primus idem Curator hujus Leidenſis Academiae, haec ſtudia ſic ſtabilivit, ut

ut deinceps nobilisſimus quisque ea maxime et honorifica et honoranda judicaverit, plurimique ex primariis ordinibus viri ea et juvenes et ſenes coluerint. Sic etiam Britanni, principium fundamentumque excolendi ingenii in lectione claſſicorum Scriptorum ponentes, hanc non ſolum ut debitam neceſſariamque ad pueritiam et adoleſcentiam, ſed etiam, ut liberalem et ſalubrem, ad reliquas aetates referunt; unde ſaepe apud eos est videre proceres, magnates, ſenatores, qui Thucydidem, Demosthenem, aliosque Graecos auctores, ad civilis rationis uſum quotidie terant. Est autem in his Literis, ut in rebus magnis, praeclarum ad hanc rerum intelligentiam profeciſſe, etiam ſi ad ſummum ejus gradum, quaſi Ariſtarchi alicujus facultatem, pervenire nequeas. *Prima enim ſequentem*, ut ſapientisſimo Ciceronis dicto utamur, (Oratore, I.) *honestum est in ſecundis tertiisque conſiſtere. Nam in poëtis non Homero ſoli locus est, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos. Nec vero Ariſtotelem in philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis: nec ipſe Ariſtoteles, admirabili quadam ſcientia et copia, caeterorum ſtudia reſtinxit.*

Satis videmur pro Batavis dixiſſe; ut nemo intelligens judex nostram cauſſam improbaverit, nedum ipſe, ſi viveret, Ernestus, vir idem et

eruditisſimus et aequisſimus: qui profecto reprehenſorem ſic alloqueretur: Quid est, Tittmanne, quod tantopere te moveas et jactes, ut in Batavos et Wyttenbachium inveharis, quaſi, meam ſcilicet famam defendens. Quae te quidem defenſore non opus habet. Neque enim populus est, in quo meis ſcriptis meaeque rationi plus tribuatur, quam apud Batavos, nec ſolum à Literatoribus, ſed etiam à Theologis, et aliarum doctrinarum cultoribus: neque quisquam ex iis me ſaepius, verius, liberaliusque laudavit, quam Wyttenbachius. Qui quod meam cum Valckenario dè Callimacheis et Xenophonteis annotationibus disſenſionem memoravit, vera et ex illo Ruhnkenioque et aliis audita narravit, nec ad *meum nomen minuendum* retulit, ut tu calumniaris, hujus narrationis fidem ineptis ratiunculis elevare conans, eximias autem laudes pasſim à Wyttenbachio in me collatas ſilentio premens. Et quod eum ac Batavos inſimulas mihi Germanisque obtrectare, indeque ſibi gloriam quaerere, vehementer erras: neque enim illi id faciunt, nec opus habent ista ad gloriam via, quae est vanorum et minutorum hominum, quam tu tuo in libello ſectaris. Quem quicumque legit, is manifesto videt, te ardentem invidiâ adverſus Batavos tibi cenſoris perſonam asſumere, hos è prima clasſe dejicere, in hac Germanos ponere, ut ſcilicet tu hujus clas-

ſis

ſis ſocius habearis. Neque tantummodo animi integritas, ſed duae etiam reliquae facultates cenſoriae, judicium et rerum intelligentia, tibi deſunt, ut monuerunt Sodales Philomathiae, et omnes prudentes doctique animadvertunt, apud quos turpiter te dediſti cum tuo libello, magnumque exiſtimationis detrimentum feciſti. Quam tu, ſi me audis, ita reſtituere ſtudebis, ut candide profitearis, te per ignorantiam et gloriae cupiditatem à vero aberraſſe. Debes hoc tibi. Debes Academiae tuae Lipſienſi: quae quum adhuc ſemper floruiſſet humanitate non modo Literarum, ſed et morum, nunc ſe neutro bono per te auctam, ſed redundantem videt inficeto profeſſore et agreſti, qui inter caeteros ſit *Rusticus urbano confuſus, turpis honesto.* Debes mihi; de quo male meritus es, quod in mea ſcrinia incidens has epistolas emittis, minime in istum uſum a me ſervatas, ut tu aliquando iis edendis abutereris ad occaſionem male dicendi obtrectandique Batavis, tuaeque obtrectationi meae defenſionis nomen praetenderes. Ego vero, qui his in Literis aetatem contrivi, earum principes ſemper Batavos eſſe judicavi, horum rationem in edendis ſcriptoribus antiquis unice probavi, ſaepiſſime in meis ſcriptis laudavi, et Germanis nostris in exemplum ad imitandum commendavi. Quorum ſi qui nunc hanc ſtudiorum viam ſecuti excellunt,

non ideo Batavis nunc excellentibus suum locum laudemque adimunt: quale quid tu somniasti, ipse in hoc Literarum genere minime excellens, de Batavis nescio quam palmam fingens, triumphans, et multa temere comminiscens, instar militis gloriosi hostes quaerens ubi nulli sunt. Quin tu potius, qui meam laudas verecundiam p. XVI, hanc secutus esses; praesertim quum et ipse sis et salutari volueris *Theologiae Doctor;* neque sit vel doctore ventoso quidquam ineptius, nec mendace theologo turpius!

Caeterum, habet Philomathes noster aliquot Ernesti ad Valckenarium epistolas, à filio generoque, humanissimis viris, acceptas, longiores illas quidem, quam quae hoc in libro edantur: inter quas quum exemplar sit epistolii à Valckenario ad Ernestum scripti, ad caussam Xenophonteam pertinens, eamque vere a Philomathe narratam ostendens; juvat nos, illud hoc loco referre. Est autem his verbis conscriptum: „ Viro summo Jo. Aug. „ Ernesti. S. P. D. L. C. V. Brevissimam „ quidem schedulam in Aristoph. Nubes „ petenti mihi aliquando remisisti: sed ob- „ servata mea in Xenophontis Memorab., „ nec ego repetii, neque Tu mihi remisisti. „ Haec igitur inter chartas tuas reperies, iis-

„ que

„ que, prout libuerit, uteris. Commode mihi „ videntur separatim ad calcem poni posse. „ Cum nihil habeam quod iis addam, prorsus „ necesse non est, ut ad me mittas plagulas, „ quas dicis, ubi praelum reliquerint. In „ Scheda quadam separata, pauca quaedam in „ notas Tuas animadverteram: his si quando „ uteris, me, quaeso, in re tantilla nominare „ noli. Vale, Vir Summe, et me inter Tuos „ admiratores semper numera." Dabam Leidae d. xx Nov. 1771.

III.

EPISTOLAE *Sodalium Socraticorum Philomathiae, cum Praefatione et Appendicibus* GUILIELMI LEONARDI MAHNE *Rect. Zierizeani Gymnasii.* — Πλάτων λοιδορούμενος ὑπό τινος, Λέγε, ἔφη, κακῶς, ἐπεὶ καλῶς οὐ μεμάθηκας· ,, *Plato,* ,, *quodam ei maledicente, Perge, in-* ,, *quit, male dicere, quandoquidem* ,, *bene dicere non didicisti*" STOBAEUS. — *Zierizeae. Apud Abrah. De Vos, Jac. Fil.* MDCCCXII. 8. *pagg.* 104.

Hic liber, jam biennium ante annum in titulo notatum fcriptus, nunc demum prodiit; quod Scriptores ejus editionem propter nova tempora differendam, nec tamen Literarum detrimento abjiciendam judicarent. Quod utrumque eos recte judicasfe, lectio ejus docebit. Continet vero, ut prior Mahnii Epicrifis, infignem, et multo etiam ampliorem, copiam praeceptorum ex Philomathis disciplina natorum, de ftilo Latino, puritate ac proprietate orationis, cum in compofitione, tum in fingulis verbis et locu-

tio

tionibus: magnam accesſionem ad libros Voſſii, Cellarii, Heuſingeri, aliorumque, qui de vitiis ſermonis antibarbaras animadverſiones ſcripſerunt: quae quum tanti ſint momenti, ut, iis ignoratis, nemo Latine ſcribere poſſit, tamen vulgo à ſemidoctis Latine ſcire et ſcribere volentibus ignorantur. Sed cauſſa libri paucis declaranda est.

Horrearius aliquando in Horreo Philomathem ultro laceſſiverat, ab eoque diu postea de ista temeritate admonitus, in Bibliothecae Criticae Parte XII, ut rem ex praefatione referamus, bilem ſibi hac admonitione commotam mox in Philomathem effudit, edita ad eum Epistola Latine ſcripta, ſed Latinitate belgiſſante et plena barbariſmis: volens ſcilicet et ipſe literatus et Latine doctus videri. Et viſus est indoctis ac Philomathi invidentibus: doctis autem audaciam ſimul ſuam et imperitiam ostendit. Nam apparuit, eum ad ſcribendam illam Epistolam adgreſſum, pauca Ciceronis, Terentii Andriam, quaedam Mureti, Philomathis Bibliothecam Criticam, Lexica denique, pervolutaſſe, indeque decerptis pannis centonem conſuiſſe filo ac ſtilo Belgico. Materia vero continebatur tota foedis impudentiſſimisque in Philomathem conviciis, quibus eum malum et improbum hominem pronunciabat, et *quaſi maleficum aliquod et noxium animal, quod quis non*

fugiat, *aversetur*, *odio habeat*, *concursumque ejus sibi dirum*, *tetrum*, *ominosum*, *putet*. Hoc clam Mureto surreptum, cum ipso typographico mendo *concursum* pro *occursum* Opp. II, p. 79, et similia inde aliundeque compilata, uno et continuo rictu in Philomathem elatravit: scilicet impium hominem, ausum Horreario respondere, et latranti Kantiano Anubi veram rationem opponere. Alia multa effutiit, quae essent hominis prae iracundia insanientis, suae caussae diffidentis, nec eam nisi mentiendo tueri se posse sperantis, et in ipso mentiendo nullam saltem verisimilitudinis rationem habentis. Veluti, Philomathi nomen *doctoris umbratici* objiciens, nec intelligens ejus significationem, nec Ruhnkenii in illa oratione propositum, id ipse commisit, quod illic in vitiis doctoris umbratici numeratur, *qui summos viros*, *si forte in vocula syllabave lapsi sint*, *obtorto collo ad suum tribunal rapiat*. Nam in duobus à Philomathe citatis versibus hexametris errores typographicos nactus, eos ipsi tribuit et rei metricae ignorantiam exprobravit; alium etiam versum ei objiciens, suam ipse imperitiam prodidit. Enimvero Philomathem quid hexameter sit nescire! eum qui à pueris Graecos Latinosque Poëtas legit! qui in illa ipsa et caeteris Bibliothecae Criticae Partibus, atque adeo in omnibus aliis suis scriptis, sexcen-

centos Poëtarum locos probabiliter tractavit et emendavit! Alia multa in illa Epistola insaniae exempla cognoscantur è Catharsio, quod Philomathes in Philomathiae Libro I, prodididit, opus faciens Literatis gratum, notandis erroribus Horrearii, cum caeteris, tum iis de Latinitate: ipsi salutare, expurgandis ejus sordibus, debitumque pro ejus syllabarum aucupio in typographicis mendis: leniter eum, ut aegrotum, tractans: errores circiter ducentos notans in quatuor generibus, Latina oratione, Graeca, Philosophia, Sensu Communi: nam mores suos, ab Horreario per diram maledicendi libidinem vituperatos, adversus febricitantem defendere nil attinebat.

At Horrearius per Catharsium ex febri in furorem conversus, sordes sibi suas adimi non passus, in sterquilinium suum se recepit, indeque suo more, scilicet, fulminans, *Triadem Epistolarum*, quasi stercoream grandinem, in Philomathem emisit: quem Pallas aegide protegens, stercus in Horrearium excussit, eumque obruit. Erat autem posterior iste libellus priore eo foedior ac dirior; ut, quum utrumque ex triviorum colluvione peteret, priorem à superficie delibasse, posteriorem è sentinae coeno ac faece hausisse videretur: ille, quamquam abjiciendus insignis ad deformitatem foetus, tamen aliquam humanae formae similitudinem re-

retinens: hic inferni tricipitis Cerberi figuram latratumque referens. Ad hunc nisi Philomathes sileret, quartam se epistolam emissurum minabatur. Juniores medici, qui sunt iidem Sodales Philomathiae, quorum judicio hic Horrearii curationem reliquerat, judicarunt Triadem non silentio praetermittendam, sed animadvertendam esse: non quidem ipsius Horrearii caussa, qui, ut suis ipse sordibus obrutus, sua sponte punitus miserandusque esset; verum, ut adolescentibus studiosis caveretur, ne istius vitiis erroribusque contaminarentur. Itaque rem per Epistolas agere instituerunt. Quae fuerunt numero decem, a p. 1. ad 108. scriptae a Sodalibus singulis, sub nominibus Socraticorum, inde ab Octobri a. MDCCCIX, ad 1. d. Junii MDCCCX. Prima est Terpsionis ad Euclidem, ante editum Catharsium, d. 11. Octobris. Altera, Euclidis ad Terpsionem, de edito Catharsio et denunciata Triade, d. xxv. Novembris. Tertia, Euclidis ad Aeschinem, de edita Triade, eique procurandae facto Sodalium decreto, data Antistheni provincia procurandi, et scribendi ad Horrearium, alio nomine appellandum *Paulum H. V C* — d. v. Maji. Quarta, Antisthenis ad Paulum H. V. C. adhortatio ad cognitionem sui colendam, curationemque admittendam: d. xii. Maji. Quinta, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de prima Triadis Epi-

Epistola, praecipue de errore Pauli, quo is dixerat *rem esse doctoris umbratici in aliorum scriptis vitia Grammatica notare, praesertim si doctissimi viri alii similiter locuti sint: Ruhnkenium nomine doctoris umbratici cogitasse Philomathem, quamvis adhuc ei ignotum et puerum duodecennem*: d. xvi. Maji. Sexta, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de ejus errore, quo contenderat, *bene Latine scribere esse Veterum scripta compilare, et Veteres item factitasse*: admonitio ad eumdem, de differentia puerilis et virilis imitationis: d. xx. Maji. Septima, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de eodem argumento, et Pauli compilationibus, in singulari priore Epistola factis: d. xxv. Maji. Octava, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de differentia rectae et pravae rationis interponendi Graeca verba ac dicta Latinae orationi, et Pauli hoc in genere ex eadem Epistola errores: d. xxx. Maji. Nona, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de puerilitate, in primis Pauli. d. v. Junii. Decima, Antisthenis ad Paulum H. V. C. de argumento Kantiano, a p. 85 — ad 108. d. x. Junii: qua ostenditur, Horrearium multa Kantii dicta non intellexisse.

Hactenus pertinuerunt Epistolae, quum Antisthenem sua et amicorum negotia in exteras regiones proficisci coegerunt. Ne tamen Pauli H. V. C. causam derelinqueret, ut ipse scribit,

bit, cum purgandum tradidit uni e Sodalibus nostris, Mahnio, quem novit Paulus H. V. C., docto et modesto viro, qui item purgavit collegam Pauli H. V. C. arrogantem et indoctum hominem, tenebrionem ſub nomine Recenſentis Recenſentium latentem. Ex his igitur Epiſtolis, quamquam materiae à Sodalibus collectae vix tertiam partem complexis, multa discere posſunt alii, cum ad rerum et orationis ſcientiam, tum ad formae et characteris epistolaris cognitionem: quam discipuli Philomathis in ejus Scholis interpretatione et imitatione Ciceronianarum Epistolarum conſequuntur, Horrearius autem adeo ignorat, ut nullam habeat rationem copiae, varietatis, brevitatis, tenoris, veriſimilitudinis, ſed putet ſe nomini et officio Epiſtolae ſatisfacere, poſitis illis in principio et fine formulis. — *Salutem*, *Vale*. Qua ſane ratione etiam è ſingulis ſuis homiliis totidem Epiſtolas conficere poterat.

Mahnius autem has Sodalium Epiſtolas, et caetera eorum hujus argumenti adverſaria, ita ab Antiſthene ſibi tradita accepit, ut his ſua adderet acta, omnia in unum corpus redigeret ac perſcriberet, et, ſi quando tempeſtivum videretur, uno volumine vulgaret. Et quum tunc ſimile argumentum purgandi Recenſentis in manibus haberet, non alienum ab eo judicavit, isti bulbo Horrearium quaſi guttam adſper-

ſpergere. Recepit igitur Antiſtheni ſe facturum, quam primum ejusmodi tempora veniſſent, ut ſtudioſi homines tali lectione frui ac delectari posſent. Quae tempora jam adesſe cum aliunde judicavit, tum inde, quod frequentes ſtudioſi homines ex ipſo et aliis ejus ſodalibus quaerere ſolebant: *Ecquid Juniores Medici? Siccine ſinunt barbaros equitare inultos.* Ergo his Sodalium Epiſtolis duae deinceps Mahnil Appendices ſubjiciuntur: prior ſic inſcripta, *Appendix Prima continens Animadverſiones Sodalium Socraticorum Philomathiae in Horrearii Epistolarum Triadem*, à pagina 109 ad p. 206: altera, *Appendix Altera, ſive Epicriſis Cenſurae, quam Recenſentium Recenſens, vir eruditisſimus, edendam curavit*, a. MDCCCIX, a pagina 297 ad 399. Sequuntur Addenda et Corrigenda à p. 400 ad 408. denique Index Grammaticus, utilissimus et locupletisſimus, verborum et locutionum in quibus Horrearius erravit.

Mahnius igitur traditam ſibi provinciam in Appendice Prima ſic adminiſtravit, ut ſaltem grammaticos et logicos errores Horrearii animadverteret, convicia autem maledictaque refutare ſuperſederet, quippe quorum fraudem et injuriam nemo ſanus non ſponte videret. Et primo quidem è Philomathis Scholis locum p. 111—115. de partibus et officiis ſtili Latini ejus,

ejusque comparandi recta ratione, protulit: deinde Triadem per paginarum deinceps ordinem persequens breviter ac diserte notavit: quae notatio ingentem numerum admonitionum et regularum de recto verborum usu, à vulgo ignoratarum, peperit. Nam Horrearius non solum priores suos errores in Catharsio castigatos tenuerat ac defendere laboraverat, sed etiam plurimis novis cumulaverat; ut expurgandi materia tanta esset, quae vel complurium Sodalium operam industriamque exerceret. Et vehementer indignatus erat, quod Philomathes ejus barbarismos et soloecismos notasset, clamans id esse syllabarum aucupium et negotium doctoris umbratici, in eumque frequens compilatos ex illa Ruhnkenii Oratione pannos jaciens: immemor, aut parum curans, quod ipse prior syllabarum aucupium, idque indignissimum et abjectissimum, in mendis typographicis, adversus Philomathem instituisset, et omnino in ea vitia incidisset, quae in illa Oratione doctoribus umbraticis tribuuntur. Veluti in Kantianis disputatiunculis iste factitat, quod in doctoribus umbraticis reprehenditur, p. 112, *falsa scientiae opinione inflati, non se accommodant infirmis ingeniis, sed, ut supra vulgus sapere videantur, eruditionem venditant, docendo difficultates augent:* et p. 125: *Huic vitio etiam affines sunt nonnulli aetatis*

tis nostrae philosophi, *qui*, *quas res populari ac perspicuo sermone enunciare possent*, *nimiae subtilitatis affectatione*, *verbis exprimunt à communi usu abductis*, *interdum etiam novis*, *et à se satis inconcinne confictis*. Et archaismos affectat Horrearius, ut ostenditur Append. I, p. 194, quod item in vitiis doctorum umbraticorum numeratur in illa Oratione p. 124: *Sunt*, *qui exoletae vetustatis amore capti*, *cum Euandri matre loquantur*. De compilatione et Terentianis jocis ad res graviores translatis, quae ineptia saepe in Horreario notata est, dicitur in eadem oratione p. 125. *Vidi qui — in mansuetiorum Musarum contemtores declamaturi*, *Ciceronis Catilinarias compilarent*. *Vidi*, *contra*, *alios*, *qui dicta per vernilem jocum à Comicis rebus gravissimis accommodarent*, *cum irrisione intelligentium*. Ruhnkenius quidem nimium festinanter arripuit appellationem *doctoris umbratici*, et in malum sensum convertit, quae veterum ratione et usu honestam habet significationem, omnibus doctoribus scholas habentibus communem, Philosophis et Rhetoribus, Platoni, Aristoteli, Quintiliano, Longino, horumque simillimo cuique: volebatque ipse notum aliquem illo tempore Scholae Latinae Rectorem, non Professorem: qua de re legenda sunt Sodalium nostrorum monita p. 18, 19, 40, 41, 237. Philomathes autem, ab

ineunte aetate in publica luce educatus et eruditus, adolescens peregrinando cultiores populos obiit, et *mores hominum multorum vidit et urbes:* deinde Profesfor Amftelodami diu in vitae celebritate verfatus, denique Lugduni Batavorum progresfu aetatis, quo magis intellexit quantum esfet quod nefciret, quantumque fibi agendum fuperesfet, fibi et paucis vivere coepit, fcilicet iis, qui ab ipfo difcere vellent, et à quibus ipfe difcere posfet: in Mufarum fe otia et *umbracula* recepit, ubi ejus felicitati invidentes et laudi obtrectantes Horrearios, Recenfentes, aliosque Zoilos, longum valere jubet, *rumpantur ut ilia Codris.*

Triadis Horrearii, ut nomen ipfum fignificat, tres funt Epiftolae, immo potius partes: fi quidem cum Epistolis nil habent commune, nifi initium et finem *Salutem et Vale.* In has ifte triplicem materiam distribuit, ut prima contineret errorum in Graeca Latinaque oratione fuorum à Philomathe reprehenforum defenfionem: altera reprehenfionem rationum de Philofophia, ab eodem explicitarum: tertia vitae morumque ejus vituperationem. Ita quidem distribuere voluisfe videtur: quamquam faepe turbat, ex alio in aliud transfilit genus, lubentisfime in vitae morumque vituperationem. De Latinis et Graecis fuis vitiis à Philomathe reprehenfis per-

pergit vociferari (p. 137.) *non agitur in nostra lite de Latinitate, agitur de mea fama, agitur de Philosophia Kantiana:* interim ipse menda typographica Philomathis colligit, eaque ipsi pro ignorantiae erroribus objicit, ejus animo moribusque improbitatis infamiam adspergit: quae dum barbaro sermone, conviciorum sordibus, furtis pannisque compilationum, in Philomathem torquet, exclamat interea 'Απλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. scilicet *talem suum esse sermonem: Philomathem autem, ut Sophistam, apud Ciceronem in Bruto*, 12, *judicare, hoc esse oratoris maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere.* Quem utrumque locum à Philomathe furatus est. Bibliothecae Criticae P. XI, p. 26, et P. IX, p. 88. Atque sic identidem grassatur per totum libellum, longum centum septuaginta sex paginarum; ut interdum vehementiore furoris accessu excitetur. Veluti p. 25, obrutus à Philomathe notatione soloecismorum ac barbarismorum suorum, quum frustra laborare se sentiret iis defendendis, et ad omnem successus desperationem redigeretur, hoc extremum subsidium sibi superesse putavit, ut Philomathis auctoritatem Diminutivi jactu labefactaret, eumque ex magno viro parvulum hominem sibique parem faceret. Sic enim scripsit ibid. „ Qua propter, ut spero, aegre non

„ feres, si te in posterum aliquando *Wyttenbachioli*, aut etiam *Danieluli*, deminuto nomine, vel etiam praenomine, compellem. Et„ enim ut poëtae Martialis ad Priscum quem„ dam, in te adhibeam verba: *Cum te non nossem, dominum regemque vocabam: Cum bene te novi, jam mihi Priscus eris.*" Hanc pueri furiose irascentis insaniam placida admonitione castigat et curat Antisthenes: quam totam quidem in ipsa ejus Epistola IX, quae est *de puerilitate Horrearii*, legisse praestat: pauca tamen inde hic apposuisse utile est: — „ Agam tecum, inquit, ut cum aegroto meae „ curationi tradito. Dic mihi quid hoc disti„ chon Martialis ad tuum propositum Diminu„ tivi pertineat. Quem poëtam si tu legisses, „ alios opportuniores locos depromsisses. Sed „ neque Martialem legisti: et voluisti uti noto „ tibi versu, quo Alphenum, optimum virum, „ interfecisse diceris, si forte Philomathem „ eodem telo interficere posses. Deinde dic „ mihi quare posueris *deminuto* nomine, non „ autem *Diminutivo*, ut omnes veteres Gram„ matici loquuntur? Scilicet volebas exquisite „ loqui, et nactus in Lexico Facciolati sin„ gularem locum Quinctiliani Inst. Or. I, 5, „ sic significatum *Diminutum nomen*, cupide „ id arripuisti, mutasti in rarius et ab hoc „ loco alienum *deminutum*, nec auctorem in„

„ spe-

„ ſpexiſti, apud quem, edit. Burm. p. 64,
„ Capperonnerii p. 42. antiquos codices *dimi-*
„ *nutivum* habere vidisſes: quae ſane vera eſt
„ lectio; ut oſtendemus in purgatione gram-
„ matica Triadis tuae (vid. Append. I, p. 142.)
„ Praepoſitiones *De* et *Di* accuratius diſtin-
„ guendae ſunt, quam vulgo fit. Illud pro-
„ fecto, ut omnia tua, feſtivum eſt, quod
„ *diminutivum* Philomathi inferre volens, ne
„ id quidem habuiſti cognitum, quo modo *di-*
„ *minutivus* Latine dicendus eſſet. Sed, ut a
„ nomine ad rem tranſeam, duo ſaltem te in-
„ terrogabo, quis quem diminutive appellave-
„ rit. Ego, inquis, Philomathem. Tu ergo,
„ Paule H. V. C. an te unquam in ſpeculo vi-
„ diſti? Certe videre te oportet, qui ſis ipſe
„ diminutivus. Jam ſi unquam, de quo du-
„ bito, in animorum ſpeculum, in illud *noſce*
„ *te ipſum*, inſpexisſes, profecto cognovisſes
„ te ingenio doctrinaque ad Philomathem eſſe
„ inſtar guttae ad mare Aegaeum, aut lychni
„ tabernarii ad Solem. — Ego vero nunc de Phi-
„ lomathis gloria te unum teſtem ſatis habeo;
„ ut hanc tui partem noſcere diſcas, tuum
„ ſcilicet tecum ipſo conſenſum. Nam quem
„ tu in Triade diminutive appellas, et furto
„ Ruhnkeniano *propudium Literarum* vocas:
„ hunc tu in Oratione Funebri in A. A. Meer-
„ ſchium a. 1792, p. 37. his verbis praedicas,

 „ *Li-*

„ *Literarum illud omnisque elegantiae mira-*
„ *culum*, *Daniel Wyttenbachius*, *Vir Claris-*
„ *ſimus.* Tum in tortuoſo illo et inficeto tui-
„ que ingenii ſimillimo Dialogo de locis Vitae
„ D. Ruhnkenii, quem edidisti in Horreo III,
„ 12, Philomathi tribuis illud, *micat inter*
„ *omnes — velut inter ignes Luna minores:* —
„ et ibidem vocas eumdem, *eum Literato-*
„ *rum*, *item ut Plato quondam dictus ſit Deus*
„ *Philoſophorum.* Porro in ſingulari tua Epi-
„ ſtola, quamvis ſtomacharis et conviciaris,
„ tamen ſubinde invito verum excidit: veluti
„ p. 44. *in Literis regnas: Literas tractan-*
„ *tem omnes te ſuſpiciunt*, *qui aliquem pulcri*
„ *habent venuſtique ſenſum: doctrinamque hi*
„ *tuam et egregiam admirantur orationis fa-*
„ *cultatem.* — Ab illo autem tempore, quo
„ tu eum *miraculum* fecisti, ad hunc usque
„ diem Triadis editae, quum duodeviginti anni
„ intercesserint. ipſeque Philomathes interea
„ majus *miraculum* factus ſit, multa quotidie
„ didicerit, ſubinde libros vel compoſuerit,
„ vel à ſe editos illuſtraverit, in his Plutar-
„ chum, Selecta Hist. Gr., Vitam Davidis
„ Ruhnkenii, Additamenta ad quorumdam disci-
„ pulorum ſpecimina, Bibliothecae Criticae
„ Partes XI et XII, Philomathiam, Phaedo-
„ nem: quorum tu librorum nec intelligentiam
„ asſequi, nec praeſtantiam aeſtimare, ac ne
„ unum

„ unum quidem similem versum conficere possis: dic igitur, sodes, qui factum sit, ut Philomathes, post tantam doctrinae accessionem, apud te *miraculum*, *deus*, *et inter ignes Luna minores*, esse desierit? Quia, inquis, adversus me scribere ausus est: idque tantum scelus est, quantum si *maleficum animal factus esset*, *quod quis non aversetur*, *refugiat*, *odio habeat:* sic enim scripsisti in Epistola singulari p. 63. mentiens et ineptiens, saltem ut Muretum describere teque ejus spolio ornare posses. Et quando in amicis vis haberi, viri optimi, Hieronymi Boschii, ejusque judicium magni facere videri, referam tibi, quae is in Epistola, qua Philomathi Carmen de Aequalitate Hominum inscripsit, de hoc pronunciavit: caet. — Talium tantorumque virorum tam diuturnam, nec umquam interruptam, conjunctionem qui disjungere, alterum apud alterum in invidiam adducere studeat, alterum ut amicum assectetur, alterum ut inimicum insectetur: illi de hoc si quid forte temere dictum exciderit, id excipiat et in vulgus edat: hunc sibi respondentem criminetur, quasi amico illudentem: quod tu fecisti in Triade tua, socium assumens Recensentem, et alium nescio quem vulgivagum famigeratorem: hoc qui agat, ex calumniosissimo est hominum

„ genere: *hunc tu Romane caveto.* Sed bene „ te novit et impudentiam et maledicentiam „ tuam: et quidni noverit, quod omnes no- „ runt. — Ergo tu, qui diminutive appelles „ Philomathem, quem non modo laudatus ille „ vir cum Casaubono et Ruhnkenio, sed et „ alii laudati viri cum iisdem et cum Hemster- „ husio Ernestoque compararunt, eadem ra- „ tione dixeris hos viros, Casaubonulum, „ Ruhnkeniolum, Hemsterhusiolum, Ernestu- „ lum *Non dixerim*, inquis; *non enim meam* „ *majestatem laeserunt, nec errantem cor-* „ *rexerunt.* Quid? si laesissent et correxissent. „ Scioppius quidem, quem tu tacita quadam „ culpae conscientia horres, si viveret, te, „ ut puerum impudenter petulantem, et soloe- „ cismos fundentem, ad illud, quod vocabat, „ natale supplicium condemnaret."

At Horrearius, semel Diminutivum nactus, eo jaciendo multum sibi placet, et pergit quasi *equitare in arundine longa.* Subinde simul etiam instar simiolae cachinnans exsultansque Philomathi occinit, *nonne*, inquit, *Wyttenbachiole, angit te quod te doctorem umbraticum nominavi: nonne Danielule, te pupugit quod tibi metri ignorantiam objeci.* Qui jam est clamor pueri non solum, sed pueri furiosi, vetuli qui semper puer mansit, suumque furorem omnibus ad deridendum ex-

po-

ponit. Omnino nil nisi incredibile confectatur: suosque errores quamvis manifestos conviciorum atrocitate obtegere se posse putat. Sic duabus illis reprehensionibus, quamvis per se falsissimis et a Philomathe confutatis, insistere et huic obloqui non desinit, et tandem cumulandis ineptiis ab asino suo (ἀπ' ὄνου) in omnium intelligentium irrisionem incidit. Quarum nunc illam brevitatis caussa omittamus, exemplum insaniae saltem in hac spectemus.

Igitur objecit metri ignorantiam Philomathi. Hoc satis per se erat incredibile et absurdum: ut supra ostendimus. Deinde confutatum hoc mendacium cum Grammaticis suis erroribus defendens in Triadis prima Epistola, dicit: *Huic enim rei, quoniam pars est majoris abollae, singularem in hac scriptione locum destinavi:* scilicet in tertia Epistola hanc rem tractare volebat. Ad hoc absurde dictum, haec annotant Sodales Append. I, p. 182: „ Siccine tua tertia Epistola est *major abolla?* Adeone indoctus es, ut nescias *abollam* hoc loco esse pallium philosophi. Adeone compilandi cupidus, ut inficete etiam hoc ex Juvenale Sat III, 115, arripias: *audi facinus majoris abollae. Stoicus occidit Baream, delator amicum.* Ergo in tertia Epistola occides Philosophus Philomathem, ut Alphenum diceris occidisse; et eris indutus pallio philosophi,

Et quare non in secunda, quae est de Philosophia? An vero in prima et secunda es cum pallio sacerdotali, aut toga professoria? Equidem nescio: illud scio, te non prorsus esse nudum, sed tectum alienis plumis graculum." Deinde, quum Horrearius ad illum tertiae Epistolae locum venit, sic pergunt Sodales: „ Salve Paule cum tua abolla. Scilicet demonstrabis, Philomathem metrum nescire. Quis non hic exspectet, te multa exempla errorum ex illius scriptis allaturum? At tu multis quidem verbis non nisi tria illa, dudum ab ipso et nobis confutata adfers; tum aliud addis, quod nusquam in illius scriptis exstat, *Novus ab integro saeclorum nascitur ordo:* quasi sic hoc in versu pro *magnus* corrigere voluerit: quod tu nisi ostenderis ubi ille scripserit, tibi et hujus mendacii caussa pessimi calumniatoris nomen imponimus. — „ Atque hactenus jam tanta tamque incredibili audacia et impudentia in hac reprehensione grassatus erat, ut nullus accessioni locus relictus videretur. Horrearius tamen, quod adderet, invenit. Addidit ex puerilitate sua parvulam hanc chriam, in eaque hoc dictum: „ *Nam cum histrio, ut ait*
„ *Tullius, si paulum se movit extra ordinem,*
„ *aut si versus pronunciatus est syllaba una*
„ *brevior aut longior, exsibilatur et explodi-*
„ *tur:* quid viro accidet Literas atque adeo

poë-

„ *poesin* profitenti, si nec numerum metricum „ scire, nec syllabarum curare quantitatem de- „ prehendatur." Quibus paucis in verbis incredibile est quot sint errores. Primo in Ciceronis loco, Paradox. III, 1, est *numerum*; pro quo quod Horrearius *ordinem* ponit festivum est quum de metro disputet, et ignoret, qui sit *numerus* actoris scenici in motu, saltantis carmen ad *numeros*. Deinde Philomathes non omnem poesin, sed Poetarum interpretationem profitetur, ut ipsius decessores Ruhnkenius, Oudendorpius, Perizonius, J. F. Gronovius; *poesis* enim quae vulgo dicitur, est versuum compositio, quae traditur in puerili institutione. Porro non modo falsum, sed insanum est, quod Horrearius ex duabus mendis typographicis ignorantiam metri objicit ei viro, qui scientiam in hoc genere suam probavit eruditis viris, documentis plurimis versuum à se emendatorum: qui caeterum poetas tractat ad doctrinae et animi fructum, ut metricam rationem interpretationi et emendationi adhibeat, non ut, histrionis instar, eorum carmina recitet ac saltet, quod Horreario relinquit. Tum illud insani erroris est, quod qui per hanc ipsam reprehensionem, et alia insuper à nobis prolata indicia, metri ignorantiâ verissime arguitur, eâdem metri peritum falsissime arguit. Denique non vidit Horrearius, se per sui ignorantiam in

in suam ipsum reprehensionem incidere; *quid enim*, ut ipsius verbis utamur, *accidet viro Literas profitenti*, earum quamvis ignaro, tamen nuper doctorem, nunc *membrum tertiae clasſis Inſtituti*, *quae est Literarum*, *et judicem elegantiae ac pulcritudinis*, agenti.

Recenſens nobis cognitus ut homo arrogans et indoctus, priore Epicriſi Mahnii confutatus, atque infra omnes mortuos amandatus, pergit tamen ab Inferis vocem ad ſuperos emittere: ſeque ultro ſocium ſycophantam ſycophantae Horreario adgregat, ei furenti ſuffragatur, eumque ad reſcribendum et Latine ſcribendum hortatur, et, quamvis ſoloecismos cum felle fundentem, bene ſcribere et adverſario fortiter reſiſtere affirmat: agnitus etiam impietatis Horrearii conſors, vetus auditor Philomathis, ab eo gratis ad Graecas ſcholas admisſus, hanc nunc ei gratiam inſectando referens. Ab hoc Horrearius, quod poſtea demum vidimus, trium illorum verſuum, et quarti etiam, reprehenſionem accepit: cujus cauſſam hic memorare juvat. Philomathes aliquando publice dicens, hujus verſus partem appoſuerat, omittens primam vocem *magnus*, ejusque loco extra verſum ponens *novus:* quod haec ſententiae congrueret, illa repugnaret: ſic v. c. „ novum Platonis ſtudium incipit, novusque — *ab integro ſaeclorum naſcitur ordo.* Venit poſ-

postea aliquis eum fugillans, quafi primam fyllabam nominis *novus* longam fecisfet. Satis ille abfurde. Sed tamen rumusculus inde exftitit: ad alios et Recenfentem manavit: ab hoc fufcepit Horrearius, et folita fibi mentiendi libidine amplificavit, perhibens Philomathem per metri ignorantiam fic emendare voluisfe. Adeo omnia funt Sycophantarum plena! Caeterum, Recenfens fi item Latine fcripfisfet multo majorem expurgandi materiam attulisfet: nunc quamvis Belgice fcribentis tamen ignorantia Graecae Latinaeque linguae et judicii ftupor tot fparfit in ejus recenfione errores, ut eorum nonnifi parte notanda et refellenda Mahnius eruditam Appendicem, et priori Epicrifi fimillimam, expleret; reliquam partem ab hac Appendice excluderet, et cum refutatione caeterarum ejusdem Recenfentis recen onum ad Philomathiam fpectantium, in aliud tempus rejiceret: atque omnino rurfus infigne documentum daret cum pietatis erga magiftrum, tum accuratae doctrinae dignae profecto que in majori theatro fpectetur.

Haec, quamvis multa, tamen pauca diximus pro amplitudine et copia libri, qui fpectat ad elegantiores Literas tuendas, ab iisque earum et corruptores, et antiftitum conviciatores abigendos: qui abundat verisfimis et vulgo parum obfervatis de recte pureque fcribendo monitis ac

ac praeceptis, veterum Scriptorum frequenti interpretatione et emendatione: qui et materia et ratione est instar partis Philomathiae, ejusque quasi corporis membrum; ut ab omnibus hujus lectoribus, et bonae Latinitatis studiosis, totus cognoscendus, legendus, relegendusque sit.

Cui quod respondeat, Horrearium nil habiturum, omnes judicarunt viri docti. Iste vero, ut Cerberus ab Hercule in lucem protractus viscera sua evomuit, sic tanta veritatis ac doctrinae vi obrutus, febricitare, delirare, sordes cum atra bile ejicere, easque meras elegantias esse putans, libello inclusas emittere. Quem nos sodales animadversione indignum censuimus, Philomathes, etiam sibi missum, ut accepit, ita statim in ignem conjecit.

PARENTALIA.

PARENTALIA.

Age vero, novisſimos amicorum nostrorum manes ſalutando veneremur! Incidit enim hoc, proximum ab edito ſecundo Philomathiae libro, biennium ſane funestum et frequens mortibus hominum nostri amantium, Literarumque ſtudio nobis conjunctorum, multorum, heu! nimium multorum, quam quorum deſiderium et jacturam nostra nos aetas ac tempora lenire et conſolari ſinant. E quibus quum nullus non meritis vel in Literas, vel in nos, vel alios multos, justae laudationis materiem praebeat; nos, et animi dolore et argumenti copia oppreſſi, eorum commemorationem paucis verbis complectemur: caeterum cogitatione nobis humanae conditionis fragilitatem proponentes, et illud,

Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur urna, ſerius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exſilium impoſitura cymbae.

Quamquam horum verſuum ut tres priores veriſſimam ſententiam habere judicamus, ita postremum nihil minus. Mortem non eſſe

O exi-

exilium, ſed, contra adeo, reditum in patriam, poterat Poeta diſcere à Pythagora, et Platone aliisque Graecorum legendo ſibi cognitis: poterat à Romanis, Cicerone, et Virgilio ſuo: qui nobis magis perſuadent, quam Horatius, caeterum admirabilis, at hoc in argumento, vel Epicurum vel plebem ſequens. Sed haec hactenus.

I. Amicorum autem, quos memorare inſtituimus, prima Hieronymi Boschii *ſors exiit urna*, die primo Junii anni MDCCCXI: quum ejusdem anni die ſeptimo Februarii, et quarto Aprilis, et ſuperioris menſe Junio, Leidam veniens ſic apud me fuisſet, ut mihi prorſus veterem amorem referret, affirmans fruſtra laborasſe Sycophantas, ut animum ipſius à me abalienarent. *Manibus hoc ſatis est.* Nam de vivo bis diximus, duo amicitiae noſtrae monumenta poſuimus: alterum, Epistolam, qua Boschio Partem undecimam Bibliothecae Criticae dicavimus: alterum, Narrationem de ejus editione Anthologiae Graecae, in Philomathiae libro ſecundo. Huc accedit, quo minus plura dicamus, quod in alienam provinciam invadere nolumus; ſi quidem et publice propoſito praemio invitati ſunt docti homines ad Boschii *Elogium* ſcribendum: et ſua ſponte id agere dicitur vir huic operi, ſi quis alius, idoneus, J. D. Lennepius, Profesſor Literarum in Illuſtri Amſtelodamenſi Athe-

Athenaeo. Illud fortasse non inutile sit futuro scriptori monendo, quodque quosdam fugisse vidimus: hujus, ut Curatoris, nullas fuisse partes in me Leidam vocando; quippe qui, me dudum vocato, Curator factus sit: mihique, à prioribus Curatoribus vocato, oblatam cathedram recusare suaserit: ut ipse, illo vivo, narravi, Bibl. Crit. P. XXVIII.

II. Paucis post diebus altera fors exiit Jani Derkindereni, discipuli peramantis nostrum, quem antea bis memoraveramus, ut magnos in Literis progressus habentem: primum, in Vita Davidis Ruhnkenii, p. 277, deinde in Annotatione ad Selecta Historicorum Graecorum, editionis alterius p. 456. Pater cargator, vir spectatae industriae ac fidei, Amstelodami cargarium (*) negotium factitabat sane quaestuosum: eidem hunc filium destinaverat, artibus idoneis linguisque hodiernis erudiendum curaverat, jamque adjutorem sibi adhibebat: quum hic forte, ut lectione librorum delectari solebat, in historiolas Graeci Romanive argumenti incidit, indeque has Literas discendi mira cupiditate incensus

(*) Utimur nomine vulgari, quo fere dicitur procurator navium onerandarum: haec et similia, non multo diversa significatione, usurpata in Latinitate Medii Aevi. Vid. Ducangius T. I, p. 219. Carpenterius T. II, p. 822.

quum raros ad studia reditus daret, nec eos satis magnos, nec vires ut nuper pares legendis Scriptoribus totis, contentus fuit per morbi intermissiones in Scholas ventitare, domi, lecta relegere, vagari per multos libros, ex alio in alium involare: quod genus studiorum antea contemnebat, nil ordiri nisi quod ad finem perduceret, nil inchoatum relinquere, solitus. Sanato confirmatoque accidit a. MDCCIC ut Leidam migrarem: quo et ipse me sequi volens, parentum caritate domi retentus est. Ibi tum apparuit, quod alios etiam magistros animadvertisse necesse est, discipulos quosdam, quamvis non amplius in scholam ventitantes, tamen porro ita maxime ad proficiendum juvari, ut quam proxime magistrum degant: cujusmodi quid et sibi in quodam familiari usu venisse Socrates narrat apud Platonem in dialogo Theage p. 11, 12. Filius apud parentes manens paulatim aliquantum ex priori discendi ardore remisit; accedente praesertim frequenti amicorum et cognatorum reprehensione, eum culpantium, quod id aetatis adhuc apud suos aleretur, nec ipse sibi victum quaereret, sed, relicto quaestuoso patris negotio, infructuosam Literis operam navaret. Quibus ipse voculis nullo quidem modo à Literarum studio, cui se in perpetuum consecraverat, abduci potuit; sed tamen commotus est, ut in animum indu-

induceret, ea, quae didicisset, ad quaestum conferre, et primam quamque vacantem scholasticam quamvis inferioris ordinis cathedram petere. Itaque, in Gymnasio Amstelodamensi, infimae classis Praeceptor factus est. Ibi quum ei quotidianum opus esset, per antemeridianas et pomeridianas horas, puerorum animis, prima Grammaticae elementa, declinationes et conjugationes inculcare; infra sane ipsius dignitatem ac doctrinam, vespertinae tamen ei remanebant vacuae, quas lectioni veterum Scriptorum tribuebat. Quamquam et hanc ei felicitatis partem mox ademit matrimonium, in quod incidit, indotatum, et multis liberis foecundum: quibus sustentandis, etiam vacuas horas privatis scholis habendis consumere debuit. Sic in scholis continuo docendi labore fatigatus, domi à liberis turba strepituque exceptus, neque requiescendi, nedum aliquid suo sibi studio legendi, tempus locumve reperiebat. Attamen hanc sortem patienter tulit, meliorem ei brevi successuram sperans. Quod dum sperabat, et nos, ne frustra speraret, operam dabamus, liberos ejus erysipelas morbus invasit: quibus opem paterno et effuso animo ministrans, ipse eodem morbo implicitus et cum duobus è liberis absumtus est. Caeterum in illa conjugialis aerumna vitae, quum in Literis parum addiscere posset, cavit tamen ne quid

de-

dedisceret: semperque illum scientiae modum obtinuit, quem antea habuerat, quemque supra declaravimus, et duobus illis in libris significavimus: quorum in priore testati sumus, eum praeclara studiorum et variae simul accuratae que doctrinae laude florentem, cum Mahnio in eo discipulorum meorum pari à Ruhnkenio numeratum esse, ex quo hic sibi alterutrum collegam obtingere optaret: in altero autem libro acutam ejus verisimilemque Xenophonteam correctionem laudantes, diximus, eum, dignum professoria cathedra, adhuc in subsellio scholastico praeceptoris infimae classis acquiescere. Sed et alias ab eo factas esse correctiones meminimus. Exstant certe edita ejus industriae opera duo: alterum, Rudimenta Grammaticae Graecae: alterum, accessio, quam ipse, sodalis Philomathiae, Epistolis et Appendici Primae contulit. Ex quibus omnibus existimare licet, quantum ejus scientia nobis Literarum fructum attulisset, si vita ipsi et longior et facilior contigisset.

III. Tertius fuit Wasscharius noster, cujus memoriam in principio hujus libri edidimus.

IV. Quartus, Fredericus Jacobus Bastius, et ipse bis a nobis laudatus, Bibliothecae Criticae P. XI. p. 118, et Philomathiae Libro II, p. 248. Natus d. XVI Martii, a. MDCCLXXI, Buxovillariae (Buchsweiler) oppido ditionis

Hasso - Darmstadiensis in Alsatia: ubi pater erat Gymnasii Rector, Praeceptor Seyboldus, alibi nobis notatus, caeterum elegantis doctrinae non expers, cujus disciplinae puer multum debuit. Theologiae destinatus, huic aliisque Literis percipiendis adolescens Jenam petiit, salario adjutus a Serenissima Amalia, Ducis Saxovimariensis matre, bonarum artium patrona egregie docta. Huc venit a. MDCCLXXXIV, quinquennium manens, audivit Griesbachium, Doederlinum, Reinholdum, alios, maxime omnium Schutzium, Literarum nostrarum decus, quo auctore ac doctore se iisdem consecravit. Relicta Jenensi Academia a. MDCCLXXXXI Comes ab Epistolis additur Legato Hasso - Darmstadiensi (De Jan.) Vindobonae; ubi in Caesarea bibliotheca aptam suo studio materiam nactus, plurimos Graecorum Scriptorum codices excerpsit. Ibidem Hasso - Darmstadiensem Principem Georgium Carolum fautorem adeptus, huic inscripsit libellum Germanicum *de Platonis Symposio* a. MDCCLXXXXIII. Mox Latine scriptum, et patrono suo, Legato, dicatum, edidit *Specimen Editionis Novae Epistolarum Aristaeneti* a. MDCCLXXXXVI. Proximo anno fuit item Comes ab Epistolis Gazerto, viro amplissimo, Hasso - Darmstadiensi Consiliario, ad Conventum Rastadiensem, pacis caussâ habitum, misso. Hinc redux eandem officii operam praestitit illustri Co-

Comiti à Pappenheim, ejusdem Hasso-Darmstadiensis aulae Parisiis Legato: cui percarus fuit, eoque absente Legationis negotia solus administravit. Qua in urbe eumdem, quem Vindobonae, vitae cursum tenuit, vacuum à negotiis tempus ad codices Graecos pervolutandos excerpendosque conferens. Epistolam Criticam ad Boissonadium edidit a. MDCCCV, cujus praestantiam declaravimus censura ejus in Bibliothecae Criticae p. XI. prodita, unde, ad cognoscendam Bastii eruditionem, haec certe exordii pars referenda est; „ Scriptor adhuc nobis cognitus erat ex specimine editionis novae Epistolarum Aristaeneti, anno MDCCXCVI Vindobonae edito; unde praeclaram de ejus doctrina spem conceperamus. Quam spem hic liber non modo explevit, sed etiam multum superavit; quippe cujus argumentum et opera per omnem Graecae Criticae provinciam late patet. Nam et ipsius linguae apparet accurata et grammatica cognitio: et lectio multiplex optimorum Auctorum: et observatio diligens dictionis elegantioris et rarioris: et acumen in plurimis iisque egregiis emendationibus: et judicii subtilitas, cum universe, tum de veterum librorum bonitate et editionum fontibus: et vero usus ac tractatio frequens codicum scriptorum bibliothecae Parisinae; unde Graecorum vel correctiones vel novi loci proferuntur. — Quo jucundius no-

bis accidit ejus propositum illustrandi Luciani, quod profitetur p. 41." Hunc autem suum librum tum recens editum, ipse nobis miserat, addita humanissime scripta epistola; unde initium factum mutuae benevolentiae, quae deinceps literarum inter nos officium frequentavit. Alteram hujus libri editionem fecit a. MDCCCIX, à nobis memoratam Philomathiae Libro II. Biennio antea nobis impertiverat, Phaedoni nostro expoliendo, varias lectiones septem codicum Vindobonensium: de quibus diximus, p. 106. editionis nostrae. Interea ipse honoribus auctus, factus Consiliarius Legationis, Eques Ordinis Hasso-Darmstadiensis *Meritorum*, Instituto Imperiali Francico epistolarum commercii caussa adscriptus, quorum nomina posita in titulo editionis secundae exstant. Per aestatem a. MDCCCXI Parisiis Darmstadium profectus, in itinere Heidelbergae totum diem apud Creuzerum nostrum fuit. Qui non modo ex ejus sermonibus, ingentes ipsius in codicibus scriptis excutiendis labores, et librorum edendorum propositam multitudinem, sed etiam ex corporis adspectu inusitatum virium robur ac valetudinem succo et sanguine quasi turgentem, admiratus est. Unde, nemine quidem tale quid metuente, tamen mox apparuit illud Hippocrateum, ἡ ἐπ' ἄκρον εὐεξίη σφαλερή. summam valetudinem esse periculosam. Redux Pa-

Parisiis misit nobis exemplar promissum Gregorii Koeniani, d. xv Octobris, adscripta paucis verbis salutatione. Mox d. XIII Novembris vesperi alicunde domum rediens, apoplexi concidit in via Honorea, indeque sublatus, mortuus domum relatus est. Nos viri obitu eo magis dolemus, quo magis et nobis favit, et Batavorum in his Literis studia ac rationem, quam quidam recentes ejus populares Hellenistae contemnere videri volunt, ipse probavit, laudavit, securus est. Vidimus catalogum, partem bibliothecae Basii complexum eam, quae ad *Literaturam Antiquam* et *Novam* refertur: et vidimus optimorum librorum editionumque multitudinem nostra expectatione majorem. Variae autem lectiones è codicibus scriptis ab ipso excerptae, non solum in marginibus editionum exstant, sed etiam singularibus inscriptae chartis, fasciculos LXV explent, in quibus complures etiam inediti libelli Graeci, et ipsius animadversiones, continentur. Catalogus, conscriptus, ut videtur, ab homine docto, multa habet, quae ad cognitionem literariam vitae et studiorum Bastii pertineant. Auctio horum librorum et fasciculorum proscripta in d. XXX Martii a. MDCCCXII, deinde in diem incertum dilata, jam facta sit, nec ne, nondum audivimus. Nam ipsi quominus mandata ad emendum daremus, et oculi nos nostri uten-

utendis illis chartis impares, et vero tempora, prohibuerunt.

V. Jam vero et ex Helvetia, natali patria, duplicis nos domestici funeris acerbitas afflixit, et cognati optimi et sororis optimae. Sed de illo prius dicamus, quando illius sors prior exiit urna. Joannes Wyttenbachius patrem habuit cognominem, rerum sacrarum in Republ. Bernensi Praesulem, auctoritate et prudentiae laude florentem. A natura factus ad probitatem, beneficientiam et industriam, à fortuna destinatus ad rem publicam gerendam, huic cognoscendae mature studuit; adolescens ac paene puer in idonea huic studio positus statione, adscriptus officialibus Quaestorii, quam Cancellariam vulgo vocant, ut in ea per legitimos gradus in eum ordinem adscenderet, ex quo Senatores legebantur. Fuitque haec ei cognitio materia non solum negotii, sed et otii et unicae oblectationis. Et quod ille in Andria Pamphilus juvenilibus adolescentium sodalium studiis omnibus medioriter obsequendo, nec iis adversando, nec aliis se praeponendo, sine invidia laudem invenit et amicos sibi paravit: eumdem fructum uberius etiam simili via, sed verioribus instructus subsidiis, W. noster assecutus est. Nam quae vulgo usurpantur, venari, piscari, aucupari, equitare, aurigare; pila, alea, chartis, ludere; fidibus aut ti-

tibiâ canere: vinum, aut similia vini potulenta, bibere: tabaco, quod dicitur, uti: et quidquid huiuscemodi adventitium, praeter naturae necessitatem adscivit hodierna consuetudo: horum omnium ille nihil, ne mediocriter quidem: et tamen si forte in coetus talia agentium incideret, compotantium adeo et comessantium, eorum laetitiae obsecundabat, et quamvis abstemius ac sobrius jucundi sodalis partes tuebatur. Ad hanc facilitatem comitatemque accedebat mira candoris, ac benevolentiae significatio, sermo plenus rerum scitu dignarum è civili prudentia et historiarum varietate, qui eum et junioribus et senioribus commendaret. Anno MDCCLXXXV, aetatis vigesimo quinto, stationis cancellariae decimo, commeatum accepit peregrinandi per exteras terras in biennium; ut fere illic liberaliter instituti juvenes solent. Primo Goettingam veniens, annum ibi commoratus est, audiens celeberrimorum scholas Professorum de Jurisprudentia, Historia, Geographia, Diplomatica, Rerumpublicarum cognitione vulgo dicta Statistica, Politica; Oeconomia in primis et Technologia, id est de artibus officinarum, Beckmannum: privatim quoque Heynii nostri institutione stili Germanici utens. Inde peragrata illa Germaniae parte, lustratisque praecipuis urbibus Lipsia, Dresda, Berolino, Hamburgo, aliis;

aliis, mensem apud nos Amstelodami fuit; tum plerasque alias urbes Batavas obiens, porro in Belgium trajiciens, Lutetiam Parisiorum venit: ibique complurium commoratione mensium facta, ad suos rediit. Atque omnibus illis in terris locisque quum diligenter observasset, quae ad suum discendi consilium pertinerent, magnamque utilium rerum cognitionem collegisset, hanc continuo ad usum actionemque, patriaeque emolumentum, convertere coepit. Itaque porro se ad omnes Reipublicae partes perspiciendas applicuit, eas maxime, quae ad vectigalia et sumtus, eorumque invicem accommodandorum rationem, spectarent: proventum frumenti, pecoris, vini, mellis, olei, aliarum rerum et opificiorum: mercaturam, exportationem, et invectionem: decimas, tributa, portoria: alia hujus generis innumerabilia. Huc in primis referebat omnium opificiorum artes, quas diligenter in Beckmannianis scholis cognoverat: eaque de causa frequens officinas artificum ingrediebatur, cum quoque de sua arte disserebat; si quid forte novi ab eo discere, aut eum docere, posset. Ibi tum saepe accidebat, ut artifex fateretur, se, quominus artem suam melius etiam tractaret, ex re familiari laborare, et alieno subsidio egere. Quod W. numquam surdis auribus audiens, laborantem semper consilio, opera, re, juvit. Unde

pau-

paulatim factum est, ut aliorum etiam hominum, nisi re, consilio tamen et opera, ab eo juvari volentium, tantus ad eum numerus conflueret, ut brevi tempore negotiorum procuratione obrueretur; quippe qui per naturae suae beneficientiam et gratuito aliis operam praestaret, neque cuiquam honesta petenti negare aut vellet aut posset. Interea amicis eum subinde adhortantibus, ut uxorem duceret gentique suae propagandae operam daret: „ Huic rei quantum satis est operam dant frater et alii gentiles: mihi quidem adoptivi filii multi sunt, omnes hi, qui mea re et opera egent et utuntur: vos vero nolite me in illam vitae conditionem includere, quae me cogat non amplius civibus meis, sed mihi soli, vivere." Deinde suo sibi tempore Senator factus brevem pacis fructum cepit; Gallici mox regni conversione ingruente, Helvetiam quoque implicante, Bernae opes affligente. Quibus de rebus, ut recenti memoria et in totius Europae luce gestis, dicere opus non est. Illud non reticendum: his in fluctibus cum civilibus tum bellicis, quum Senatus Bernensis maximum et momentum et discrimen esset, W. nostri fidem et constantiam inter caeteros eluxisse, ejusque sententiam semper habitam esse eam, quae à sano sinceroque judicio, neque corrupto ulla vel propriae utilitatis spe, vel partium studio,

vel

vel quocumque affectu, profecta esset. Ac veluti tranquillus limpidae fons aquae in ipso fundo pellucet, atque imagines propinquarum rerum integras nulloque tremore aut flatu turbatas suscipit ac reddit: sic hujus animus simplex et apertus, nil simulatum tectumve alens, unicuique totus ad inspiciendum patebat, et externarum rerum visa, facta aliorum, actionesque, et fortunae casus, mediis in fluctibus, severo judicio accipiebat, nil alieni illis vel amore aut odio, vel cupiditate aut metu, affingente. Roganti mihi, ut istius conversionis narrationem à se factam ad me mitteret, perscripsit eam, sane lectu dignam, ex rerum civilium scientia et caussarum observatione; ut plane scriptam Polybiana ratione diceres, ad quam rationem, sine imitatione, suo ipse ingenio ferebatur. Senatu optimatum à plebejis dimisso, ipse tamen ab his amabatur et colebatur, ut qui semper utrisque ac toti patriae consuluisset. Reconciliatis ambabus factionibus, lectus Senator utriusque Senatus, *universi* et *urbani*, Praefectus Quaestorio Vectigalium, moderandae Academiae Triumvir, his muneribus per reliquum vitae tempus praefuit. Ad quae quum, ut antea, alienorum procuratio negotiorum accederet, testamenta, tutelae, arbitria, advocationes, et alia cujuscumque generis, ipseque haec omnia cum religione et cura administraret, nec valetu-

tu-

tudini parceret, saepiusque rheumatismis tentatus, à medicis monitus, ut finem aut certe modum faceret illi procurationi, eos eo minus audiit, quod natura laboriosus viribus et consuetudini suae fideret, omniaque magnâ cum facilitate tractaret; quippe qui mirifico cuncta ordine digesta teneret, cujuslibet negotii et agendi certum tempus servans, et actis rationibusque ponendis certum locum tribuens. Itaque pergebat solito more vivere, nil quidquam vitae metuens: veluti mihi, cujus res in Batavis incertae videbantur, a. MDCCCX. prospiciens, suaque omnia offerens, nullâ interpositâ morâ aliquot longiores epistolas scripsit, quasi optime valens, quamvis debilitato corpore; se minus bene valere ne significans quidem, nedum caussans. Proximo anno valetudo dudum dubia in hydropem evasit. Cui levando quum vernum aestivumque tempus ruri degisset, vergente autumno Bernam rediit, praesente medici sui ope usurus. cujus in curatione porro degens d. XII. Novembris vesperi in lectulo recubans, cum suis coenans et colloquens, dum se in alterum latus converti, placide, ut voverat, ita exspiravit. Hic quantum sui suarumque virtutum desiderium reliquerit singulis et universis civibus totique patriae, declararunt Ephemerides Bernenses, non illae, ut aliae, vani-

vaniloquae, sed veritatis testes et consentiente populi judicio confirmatae. Nos optamus, ut et patriae cives alii similes obtingant, et in hujus erga nos amore et officiis alius pari virtute cognatus succedat.

VI. Hunc virum quando jure meritoque laudavimus, religioni habemus tacere de optima sorore, quae nobis hanc de illo notitiam perscripsit, cum diligenter, tum dolenter et amanter, ipsaque paucis post mensibus diem suum obiit, nosque induxit ad recordationem non modo hujus viri, sed etiam majoris nostrae sororis, dudum defunctae; ut eo acerbior multiplici jactura, vetere et recente, dolor ad animum nostrum accideret. Ergo et in sororibus, non minus mortuis, quam vivis, pietatem colamus, earumque memoriam comiter et usurpemus et prodamus. „ De mulierum „ virtute, inquit Plutarchus, dissentio à Thu„ cydide, qui eam optimam mulierem esse „ pronunciat, de qua foris minimus vel in „ bonam partem vel in malam sermo sit: cen„ sens nimirum, ut corpus, ita famam quo„ que bonae mulieris inclusam esse, neque in „ publicum exire debere. Mihi autem elegan„ tior videtur Gorgiae opinio, qui mulieris, non „ formam, sed famam, vult multis esse notam. „ Optime vero Romanorum legem constitutam „ esse judico, quae, ut viris, ita mulieribus „ quo-

„ quoque post mortem publice debitam lauda-
„ tionem tribui jubet." Ergo si justum est, virtutem in muliere laudare, in sorore eam reticere sane injustum sit. Et nos eâ memorandâ obsequimur et Plutarchi judicio, et Romano mori, et nostro dolori, et pietati, hoc illius caritati debitum officium existimantes: et vero religioni, nefas ducentes ab institutis his virorum parentalibus sororios manes excludere. Omnino fraterni amoris multae sunt caussae, quas enumerare omnes longum sit: prima quidem et necessaria, iisdem parentibus nasci: tum plures, aliae aliis ita majores, ut majorem animorum conciliationem habeant: unâ vivere, nutriri, educari, à parentibus pariter amari et curari: lusum et seria, laeta et tristia, communia habere: invicem ridentibus arridere, flentibus adflere: majus etiam vinculum adfert societas institutionis puerilis: longe autem maximum communio juvenilis disciplinae, et cognitionis elegantiorum Literarum, qua et ingenium ad veri pulcrique judicium, et animus ad virtutem, excolitur; unde existit morum, sensuum, studiorum, similitudo, et ipsa amicitia, alterum ut se ipsum amans, sine qua verus fraternus amor esse nequit. Ego vero quum unum fratrem, et tres sorores, haberem, frater ac tertia soror me juniores nunc etiam supersunt: ille belli et pacis artibus Minervae alumnus,

 eme-

emeritis laudabiliter longae militiae ſtipendiis, ſibi vivit, ſuisque ſe literulis tuetur: haec conjuge ſacerdotali ac tribus filiabus floret. Sed ejusmodi, qualem dixi, aequalitatis et condiſcipulatus necesſitudo mihi intercesſit cum ſororibus duabus me paulo majoribus. Et in artibus quidem juventuti utriusque ſexus necesſariis valde nos mutuo conciliabant Historia et Geographia: quas ita et ad eum modum perdiſcebamus, ut quamcumque earum partem invicem interrogantes et interrogati memoriter redderemus: nec tantummodo ex nostris compendiis, ſed etiam extra haec in rebus novisſimis, veluti belli ſeptennis, quod in illam aetatem incidit, gesta et vicisſitudines asſidue in novellis, quae dicuntur, ephemeridibus politicis, legentes, ſic tenebamus, ut ea postea ſemper ſecundum ordinem temporis, quamvis ſubito, referre posſemus. Inde utriusque linguae, id est Francicae et Germanicae, praecipuos poetas et ſcriptores, qui ad mores formandos ingeniumque expoliendum valerent, legimus, et ſtilum exercuimus, vertendis inſignibus illorum locis ex altera in alteram linguam, ſcribendis epistolis ad exemplum Sevigniae et Gellerti, pingendis characteribus ad imitationem Buyerii. Interea ego, qui ſeparatim Graece Latineque diſcens, Virgilium et Homerum cognovisſem, ſororibus narrare, illam à no-

nobis lectam ac tantopere laudatam Voltarii Henriciadem fere ex Aeneide expressam esse, Aeneidem ex Iliade et Odyssea: illae mirari, quaerere Homeri Virgiliique carmina Gallice reddita: legere, mox è manibus deponere, praeferre Voltarium, dicentes videri poetam quemque ipsum sua linguâ utentem legendum esse. Quod si sors nostra nos diutius unâ manere sivisset, haud scio an Graece Latineque didicissent. Et sic quoque, ut mulieres, doctae et erant et habebantur. Minorem etiam formâ commendatam multi petebant proci: quorum illa caeteros ut parum literatos contemnebat: uno excepto, qui et Literis et moribus amabilis videretur, Salchlii, collegae quondam patris mei in Theologiae cathedra Bernensi, filio: cujus, ut, poetae, haud exigua exstitit fama, et nos carmen *De Malo* memoravimus in Bibliothecae Crit. P. X, p. 135; quocum nupta tres et quadraginta annos in Helvetia, obiit d. XIV Julii a. MDCCCXII, duabus relictis filiabus, quarum minor nupta Lutetiae Parisiorum tertio post matris obitum mense optimum maritum morte amisit: major apud patrem vivit: qui ut saepe ad pangenda carmina Musam invocavit suam, sic quin nunc eam deflendae optimae uxori invocaturus sit, non dubitamus. Major nostra soror à literatis et ipsa petita procis, nacta maritum Ludovi-

cum Gallienum, Artium, ut vocantur, Pulcrarum Professorem Hanoviae mortua est a. MDCCLXXIX, conjugii septimo, relictis item duabus filiabus, sed parvulis, in tutelâ patris, qui, earum institutionem diligenter ac prudenter moderatus nuper ibidem obiit a. MDCCCIX. Harum utraque in domesticum à me convictum recepta: minor domi meae subito morbo exstincta obiit a MDCCCIIC: major hunc vigesimum et primum annum apud me est, et diu sit. Mihi fratri, terni illius consortii reliquo, ad Batavos delato, in tanto annorum spatio, sorores non nisi semel invisere licuit. Ergo veterem consuetudinem mutuo desiderantes, et longinquam spem velut immensum mare prospectantes, desiderium literis scribendis consolabamur. Utraque literas scribebat, quales pauci possunt literati, amanter, facete, argute, cum rerum copia et varietate, et narrationis nativa facilitate; ut longissimae quaeque maxime delectarent: utraque non minus probitatis et beneficentiae, quam ingenii et eruditionis, fama floruit.

Haec est feminei merces extrema triumphi,
Laudat ubi emeritum libera fama rogum.

VII. Nobis vero hujus parentalis argumenti, quantum absolvimus, tantum succrescit; adeo per

per hos annos amicorum funera continuavit fatum. Occidit et Heynius et Larcherus, uterque faeculi decus: occiderunt clari doctrina viri plures: Chardonus Rochettius: Joannes Randolphus V. S. R. Epifcopus Londinenfis, Plutarchi nostri fofpitator: tum veteres nostri fodales, pueritiae Ithius, adolefcentiae et Philomathiae Wagnerus, proximae et fequentis aetatis Paradyfius et Temminckius, ille etiam et collega et medicus noster, et multis confuetudinis fermonumque fuavitatibus nobis carus. Quibus fi fuum cuique debitum officium hoc in libro praeftemus, eum justo et feriorem et longiorem emittamus. Itaque pios manes deprecamur, ut hac brevi mentione contenti, uberiorem nobis aut remittant, aut in aliud tempus differre permittant. Neque etiam nostro praeconio indigent, ipfi fua fe doctrinae fama tuentes, cui comparandae fatis illis longum vitae fpatium fuperfuit. Et vero nos quemque eorum vivum aliis librorum nostrorum locis commemoravimus, et quae cujusque de Literis merita esfent, quae nobiscum necesfitudo, fignificavimus. Quidam etiam publice difertos laudatores nacti funt: Heynius Heerenium, Larcherus Boisfonadium, Paradyfius Tollium nostrum. Haec nunc hactenus.

VIII. Diverfa est eorum causfa, qui alumni difciplinae nostrae, in eaque egregie verfantes,

occubuerunt anteaquam industriae fuae publicam laudem tulisfent: qui profecto nostra opera et fcriptione ab oblivionis injuria vindicandi funt. Quo in genere fuit Wasfenarius noster. Quem biennio post in fimilis fati confortium fecutus est *Davides Catharinus de Haan*, Petri filius, viri in primis inter noftrates fpectati, probitate, mercatura, familia, natorum cum felici proventu, tum diligenti inftitutione. Hi tunc erant numero feptem, quum antea octo fuisfent: eorumque quatuor deinceps nostris quoque fcholis ufi funt, non folum ut asfidue commune penfum peragerent, fed etiam ut adjungerent proprium ac domefticum, lectionem principis alicujus fcriptoris, à cujus intelligentia deinde ad alios fcriptores proficifcerentur. Hoc item alterum jam annum naviter factitabat Davides Catharinus, fratrum quartus ordine, perlectoque Homero, verfabatur in Xenophonte, ac fubinde privatim ad me ventitans, et de locis difficilioribus quaerens, valde mihi progresfus industriamque fuam probabat, quum fubito eum bellici impetus turbinis è nostro fuorumque amplexu confpectuque abftulit. Annus erat abhinc tertius, MDCCCXIII, menfis Aprilis: putabamus res jam ad pacem et apocataftafin fpectare, earumque falubritate terrarum orbem, longa calamitate fesfum, tandem recreatum iri. Nequicquam: novus delectus,

jectus, prioribus acrior, per Francicum imperium, populosque ei subjectos, denunciatur. Rursus feralis Alecto bellicum insonat,

cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem; qua protinus omne
Contremuit nemus, et sylvae intonuere profundae,
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

Poscuntur arma, viri, equi, apparatus: novum instituitur genus equitum, *satellites honorarii*, nisi malis eos verbum verbo reddens *custodes honoris* dicere. Legebantur è filiis familiarum ditiorum et honestiorum, qui suum ipsi equum aliaque in militiam adferrent. Quod acerbius etiam peragebatur in praefectura Amstelodamensi et Hagana, cui suberat Leida. Neque designato concedebatur mercede conducere volonem vicarium, qui ipsius loco militaret: quod alibi et alias licebat. Neque certum discrimen observabatur, ut maxime legerentur aut validi corporibus, aut animis feroces, petulantes, protervi, audaces, quales saepe sunt et haberi volunt adolescentes. Domus Haania tot filiis florens, quum prioribus è delectibus se expedivisset dandis vicariis, hujus postremi acerbitatem effugere non potuit. Designatur Davides Catharinus, inexorabili imperio, optimus adolescens, nec corpore robus-

tus, et animo mitis, lenis, placidus: potius Μουσάων ἔρνος, quam ὄζος Ἄρηος. Fratres majores certatim se ejus in locum offerre: ille eorum beneficium generoso animo recusare, asseverans se ipsum suam fortem ferre velle. Nos eum hilarare, militiae oblectamenta memorantes: novorum populorum locorumque cognitionem: proverbium, plurimas belli partes esse inanes, *τὰ πολλὰ τοῦ πολέμου κενά*: frequens otium reditus ad studia concedens: posse ei obtingere praefectum doctrinâ politum, Xenophonteae Anabaseos studiosum, quales semper haud paucos fuisse in Francicis exercitibus, tum id, quod tunc ferebatur, honorarios satellites Batavos non aciei et pugnae destinari, sed pro obsidibus servari, equos eorum in supplementum veteranis datum iri: denique notum illud: *haec olim meminisse juvabit.* His libenter auditis delectari visus, res ad profectionem componit, libros illos Graecos, et unum alterumque Latinum, sarcinis addit: mox ipse caeterique commilitones abducuntur Metim, Lotharingiae caput, ubi exercerentur, donec castris praeliisque idonei fierent. Hic eum prima fefellit spes de praefecto doctrina polito: adjungitur contubernio decani duri et ferocis, cui hoc principium muneris et antiquissimum erat, ut sarcinas tironum inspiceret, ac si quid suo judicio supervacaneum esset, quod sane multum

cum erat, auferret: in his erant fine dubio libri: abjiciuntur; denique fervantur à domino ac domum remittuntur. Caeterum tironum hoc in negotio non una fuit conditio; ista communis, ut ad paucitatem fupellectilis redigerentur; famulos haberent nullos; ipfi fe, vestimenta fua, equum, inftrumentum equestre ac militare totum, curarent et purgarent, ftabulum everrerent, vilisfima quaeque minifteria obirent: quod profecto adolefcentibus libere natis, liberaliter educatis, Mufarum alumnis, è parentum fuorumque finu abreptis, iniquum et indignum accidebat, eorumque animos magis etiam ab hujus militiae causfa abalienabat. Finitis induciis, quae fuerant à Calendis Juniis ad Idus Augustas, mittuntur Magontiacum, inde ulterius mittendi Lipfiam verfus Dresdamque, ubi tunc omnis belli impetus conftiterat. Neque tamen eo pervenerunt, fed inter Moenum Saxoniaeque fines haeferunt; five quod ad belli ufum nondum fatis exercitati cenferentur: five quod mox Francicus exercitus, inclinatis rebus, reditum ad Rhenum moliretur. Cujus reditus pars fuit praelium ad Hanoviam, ejusque urbis incendium, exeunte menfe Octobri: de quibus ad fuos Leidam fcripfit. Hae novisfimae ejus fuere literae. Brevi enim postea ipfe et alii, qui una cum eo ad Magontiacum erant, commilito

litones, equis ademtis, pedibus Treviros ire jubentur. Quo quum magna cum aerumna, per complures pluvios deinceps dies, per itinera illuvie ſtagnantia, et amnibus concifa exundantibus, tandem eluctati pervenisſent, Haanius continuo in letalem morbum incidit. Ibi tum inſignis erga eum fides et cura commilitonum exſtitit, qui recuſantes in militari valetudinario eum collocare, privatum mundumque domicilium ei conduxerunt, cognitum probatumque medicum adhibuerunt, et omne ministerii genus praeſtiterunt: at exſuperante atrocia mali, et humanam opem reſpuente, in eorum manibus exſpiravit. Hic non praetereunda est Creuzeri nostri benevolentia: qui a nobis rogatus, et in Germaniam proficiſcenti Heidelbergâ commendatitias literas ſubmiſit multas: et monitus eum Treviris aegrotare, continuo ejus cauſâ ad Trevirenſes ſcripſit amicos: quamquam ſera fuit haec opera, properante fato aegrotantis, et commeatu tabellariorum inter utramque Rheni ripam interclufo. Ad nos autem in Bataviam allatus nuntius de illius obitu optimum quemque gravisſimo luctu affecit, ſimul et commiſeratione boni adoleſcentis, crudeli forte et in militiam abrepti, et fruſtrati cum vitae tum reditionis fructu, ejusque praecipuo gaudio, quod mox commilitones pasſim reduces perce-

pe-

perunt, ut patriam liberam recuperarent, quam servam reliquissent.

IX. Et proximus deinceps annus, quamvis laetissimus ille ad libertatem ac pacem, nec ipse tamen caruit luctu ex duorum amissione discipulorum, insignium progressibus ac singulari discendi cupiditate, quae utrique, per studii vigiliarumque quamdam quasi intemperantiam, vitae finem maturavit.

Prior fuit J. D. Boudrit, Leidensis: cui quum vivo aliquoties testimonium impertiverimus, quo diligentiam suam fautoribus approbaret, mortuum hujus publicae commemorationis expertem praetermittere non debemus. Hic natus d. XXIX Martii a. MDCCXCI, paene puer à Ravio, collega quondam nostro, Theologiae et Oratoriae Sacerdotali conciliatus, eoque doctore antea orbatus, quam ejus exemplo vocem habitumque ad virilem firmitatem excoluisset, se rerum copia ac scientia tutatus est. Nam et complures diversarum Professores disciplinarum assidue audiebat, et audita fideliter domi commentabatur, et praeterea dies noctesque in omnium lectione librorum conterebat, veterum, novorum, Graecorum, Latinorum, Orientalium, Philosophorum, Poëtarum, Historicorum, aliorum; vix ut sibi quidquam laxamenti et quietis concederet. Nostris quidem scho-

ſcholis quinquennium ſtuduit: intereaque, ut facultatis in hoc genere ſuae ſpecimen proderet, ſcripſit *Lectiones Homericas*, idque ſua ſponte, me ignorante, nedum adhortante. Perſcriptum mihi oſtendit ſpiſſum volumen, de quo illud valeret, *cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.* Erant magnam partem ſimiles aliorum poetarum et ſcriptorum loci, non modo Graecorum et Latinorum, ſed Hebraeorum, Arabum, tum recentiorum, Belgicorum, Germanicorum, Anglicorum, Francicorum: in his quaedam ab aliis nondum obſervata: erant etiam quaedam è noſtris ſcholis ſuſcepta, quae pertinerent ad conſtituendam ſcripturam, et verborum obſcuriorum ex analogia et origine interpretationem: quaedam etiam ad hanc rationem factae ipſius propriae animadverſiones. Suaſi ei, ut illud prius genus certo modo circumſcriberet, hoc autem poſterius omni ratione augeret et excoleret. Promiſit ſe facturum: facere ingredientem excepit tempus, quod multorum ſtudia diſcipulorum turbavit, patria in Francicae provinciae formam redacta, multorum civium fortunis afflictis aut everſis, Academica inſtitutione ad Francicum modum ordinata, Literarum noſtrarum ſcholis deſertis. Ibi tum et ipſe ſpe ſua et voluntate maturius ſacerdotii miniſteria capesſere, ſermones ſacros com-

componere et recitare. Sic novis laboribus ad veteres accedentibus, magis etiam debilitatus, superveniente morbo exstinctus est, d. XVII Decembris, a. MDCCCXIV.

Alter brevi postea secutus est, d. III Januarii, a. MDCCCXV, Bartholemaeus Cornelius van Dorp. Natus Delphis Batavorum, parentibus perquam honestis, d. VI Januarii a. MDCCXCIII; puer variis deinceps in tutelis jactatus est. Patrem quadrimus amisit: cui successit vitricus: hoc post quartum annum mortuo, sola mater fuit: quâ item altero anno mortuâ, puero praefuit avunculus, tum patruus Cornelius van Dorp, mercator Rotterodamensis, fide et opibus spectatus, qui eum tradidit disciplinae et contubernio viri docti et prudentis J. Servaas, Med. Doctoris, eamque artem factitantis in pago Delphiportu (*Delftshaven.*) Ibi tum puer primum in constanti discendi via positus, proficere coepit. Omnino saepe professus est, multum se illi viro debuisse, cum ad eum Latinae linguae modum consequendum, ut Professorum scholas cum intelligentiae fructu audire posset; tum ad initia philosophiae, mathematica et physica, tum vero ad judicii diligentiam et observationem errorum vulgi et vitae communis. Venit ad nos Leidam a. MDCCCXI, Jurisprudentiae se daturus, et scholas adhibiturus

rus earum artium, quas apud priorem magistrum didicerat, patria quidem jam in Francicam provinciam redacta, at in Academiis adhuc vetere more retento. Quo item sub proximi anni finem abrogato, et Universitatis Parisiensis ordinatione apud nos constituta, discipuli plerique veterem studiorum cursum mutare coacti sunt. Ita et ipse, qui primo anno apud nos scholis de Historia Universali et Antiquitatibus Romanis operam dederat, jam omne suum tempus Jurisprudentiae tribuebat. Interea periculum subeundae militiae satellitii honorarii aegre, nec nisi insperato favore et commento conscriptoris, effugit; ad quam eo magis deligebatur, quod robore et statura commendaretur. Proximo anno, liberatâ patriâ, interceptas scholas repetivit, et Jurisprudentiae scholis adjecit mathematicas, physicas, literarias, nos quoque Ciceronis opus de Finibus interpretantes audivit, et se propius ad nos applicuit, stilo exercendo paraphrases capitum illius operis scriptitans, easque dijudicatum ac probatum privatim ad nos ventitans, magnamque progressuum spem adferens. Quae spes, heu! brevis et vana fuit. Nam quum tot scholis assidue interesset, alia et varia argumenta secum domi tractaret, nec sodalium officiis abesset, his tam multis rebus quum tempus non sup-

ſuppeditaret, illud corporis curae, recreationi, ambulationi, quieti, ſomno. ſubtraxit. Itaque valetudo infirmari, inflammatione faucium tentari: atque ſic affectus ad me aliquando venit lectum ſcriptionem quamdam ſuam: ſuadebam ei medicum adhibere, promittebat ſe facturum: caeterum nil periculi ſubesſe: tamen ſtudendum esſe: nec enim ſine ſtudiis vitam vitalem fore. Discesſit à me domum, ubi medicum quidem arcesſivit: at illo invito, ſolitam vitae ſtudiorumque rationem ſequens, gravius aegrotare, ſanguinem exſpuere, ſimilibusque affectionibus premi, quae ipſi ſero medicinam quaerenti mortem attulerunt. Reliquit apud omnes, qui eum norant, haud vulgarem moerorem, quod in moribus, vultu, et ſermone, decoris et humanitatis ſingularem habuisſet ſignificationem.

X. Tandem nos triſti parentalium officio defunctos ſperabamus, quum rurſus eodem revocamur obitu luctuoſo Jani Petri van Heukelom, adolescentis ornatisſimi, discipuli noſtri ſane probati. Natus hic Leidae parentibus honestisſimis his puer orbatus, cum fratre minore relictus tutelae propinquorum, prudentium virorum, ab horum uno, V. R. van Geuns, laudatae viro doctrinae et facundiae, Teleiobaptiſtarum tunc apud Leidenſes, nunc apud Amſtelodamenſes, Eccleſiaſte, ad me deductus

meisque scholis commendatus est. Fuit idem amicissimus Haanii, de quo diximus, sodalis, cum eodem et assiduus in schola, et privatim domum ad nos ventitans consultum de studiis: ejusdem discidium mortemque acerbissime tulit. Itaque quam illi tribuimus morum literarumque laudem, cum hoc communicatam volumus. Biennium, quod illi superstes fuit, Jurisprudentiae operam dederat, quum eum nobis subita mors eripuit. Est hic apud nostrates, ut alios septentrionales populos, mos, ut hiberno tempore fluviis lacubusque glacie constrictis, ingens hominum, certe juniorum, multitudo, eo confluat: in primis eorum, qui in ferratis soleis currant, et inusitata velocitate per aequor glaciei quasi volent: alii trahis vehantur: alii aliud ludant: alii ambulent et spectent. Et habetur hoc unum ex praecipuis hibernis oblectamentis. Neque tamen mortis periculo caret; quod multi sint loci, ubi oculi incautorum falli possint fraude et insidiis glaciei, vel ruptae et apertae, vel tenuiter adstrictae nec satis duratae, vel ab undis non sustentatae, quippe subsidentibus et in alvei fundum vergentibus. Hoc fraudi fuit nostro discipulo. Nam die solis otioso X Decembris anni MDCCCXV pluribus hominum miliibus Rheno insultantibus, ipse quoque cum nonnul-

lis

lis fodalibus eo venit curfurus. Ibi tum longius provecti, locum fufpectum celeritate pervadere conantes, ecce! rupta fub pedibus glacie, in undas incidunt ipfe et duo fodales. Atque hi quidem in terram eluctantur: ipfe vero aliquamdiu luctatus fubmergitur: post horae circiter quadrantem extrahitur mortuus, certe calore et fpiritu ita vel exftincto vel oppresfo, ut omnibus quamvis propere adhibitis artis medicae remediis refuscitari non potuerit. Sic amifimus bonum difcipulum, omnibus commendatum laude induftriae, progresfuum, humanitatis, comitatis, et vitae laudabiliter actae, duos et viginti annos natum. Atque hoc loco facere non posfumus, quin difcipulos nostros moneamus, ut in corporis exercitiis alia potius tractent, vel palaeftrica, vel bellica, ingenuis adolescentibus magis decora et utilia; istud autem hibernum et prorfus frigidum, ut poetae dictum fequar, Periculofae plenum opus aleae, quo inceditur per aquas fubpofitas glaciei dolofae, aliis relinquant.

'Αλλὰ φόωσδε τάχιστα λιλαίεο, à mortuis ad vivos redeamus, hujus libri editionem urgeamus; ut antea exeat, quam nobis fatalis necesfitas novum parentale argumentum objiciat.

XI. At inanis fuit nostra fpes. Jam enim fatalis necesfitas nobis infciis novum argumen-

tum objecerat, nec praetereundum, et ad acerbitatem doloris grave, amisfionem capitis in paucis cari, Frederici Guilielmi Boerfii, de quo pauca diximus Bibliothecae Criticae P. XI, p. XXI, nec nunc multa noster nos dolor et temporis anguftiae dicere finunt, longae quamvis materiem fcriptionis afferente. Natus gente honorata Leidae, ibidem educatus et utraque disciplina inftitutus est, primum puerili, deinde academicâ, ut vocant, id est fcholis Profesforum. Quum mature folers ingenium in eo eluceret, destinatus est ab avunculo, apud quem alebatur, rei publicae aliquando gerendae, et ad hoc propofitum ftudiorum fuorum confilia accommodavit. Ergo Jurisprudentiae fe dedit, ad eamque rite percipiendam, animum Philofophiâ et Literis inftruxit. In Graecis audivit Ruhnkenium, tunc Lectorem, quem caeterae totius discendi rationis auctorem fecutus est: in Latinis et Hiftoria Oudendorpium: in Philofophia Luloffium: in Jure Civili Scheltingam, in Jure Publico Weifium et Pestelium. Ad hoc fcholarum penfum, accedebat aliud domesticum et quotidianum, multorum lectio librorum eaque infatiabilis: non folum Graecorum et Latinorum, fed et novitiorum, Belgicorum, tum vero exterorum, Gallicorum, Britannicorum, Germanicorum, harumque lingua-

guarum ufus et meditatio eum in finem, ut iis et ad legendum et ad colloquendum valeret, Gallice etiam pure et accurate fcriberet. Inerat praeterea jam in adolescente magna oris commendatio, fermonis varietas et jucunda comitas, quae per totam vitam manfit, certe raro nec nifi tempore aegrotationis eum reliquit. Tali ergo quum laude floreret, accesfit etiam eruditionis fama è fcripto libello, et confequendo titulo Doctoris Juris ad disceptandum propofito, *de Anthropologia Jurisconfultorum Romanorum quatenus Stoica est*, Lugduni Batavorum MDCCLXVI. Quo in libello quum appareret fcriptoris et philofophum ingenium, et Philofophiae Jurisprudentiaeque diligens cognitio, et elegans Literarum doctrina, nemo erat qui dubitaret, fcriptorem, fi modo id agere vellet, idoneum fore cathedrae cujusvis harum disciplinarum obeundae. Sed vetus reip. gerendae propofitum eum ab inftituendo alio vitae genere avocavit: et non ita multo post factus est Advocatus Societatis Indicae Orientalis. Quod munus quam fuerit plenum laboris et negotiorum, quam varium et multiplex, intelligunt, qui norunt, quanta pars Reipublicae Batavae fuerint coloniae Afiaticae et Africanae, hujus Societatis regimini fubjectae, quantumque momentum, cum ad patriae florem ac po-

tentiam, tum ad fortunas ſingulorum civium. Officium Advocati malumus verbis Peſtelii, viri egregii, referre ex Commentariis de Rep. Batava p. 162: „ Duo viri ex tribus quisque „ nominatis a Principe Arauſiaco electi, et „ *Advocatorum* nomine appellati, Curatoribus „ adſunt, ut eorum fide, diligentia in ex„ quirendis rebus Indicis ac commodis Socie„ tatis, probataque prudentia in conſiliis dan„ dis et decretis efficiendis, niti posſint." Boerſius initio *Secundus Advocatus* factus, interjecto tempore in locum Primi ſuccesſit. Amſtelodami habitans, ad me venit recens Profesſorem perhumaniter ſalutatum, affirmans me ſibi quamquam ab aliis commendatum, tamen ſponte conciliatum esſe; quod ego, item ut ipſe, Literarum cognitionem ad Hiſtoriam Philoſophiae retulisſem. Hoc fuit initium noſtrae conjunctionis: quae deinceps, dum ambo Amſtelodami fuimus, mutuis officiis, multis congresſibus ac ſermonibus frequentata est. Decem annis post (1781), patria ſubito bello à Britannis perculſa, naves nostras intercipientibus, portus obſidentibus, Societas Indica Orientalis, ipſo ſuaſore, duos Legatos, quorum ipſe unus fuit, in Galliam miſit, qui cum Rege, Adminiſtris, et Praetoribus agerent de militibus conducendis, navibusque inſtruendis, et

è

e Gallia in Indiam emittendis, ad colonias Societatis adversus hostium incursum defendendas. Ibi quod ei supererat à legationis officio temporis, ad cognitionem urbis, populi, morum, regiminis, hominum, in primis doctorum, contulit, et proposito negotio dextre solerterque peracto, pace restituta, (1783) domum rediit. Interea dissensiones civiles inter duas adversarias reipublicae partes increverant; et deinceps ita invaluerunt, ut ad manifestum bellum spectarent: quod praevertit, immo jam accensum exstinxit, adventus Borussici exercitus praetore Brunsvicensi Duce (1787). Vetere reip. forma restituta, partibus Nassavicis confirmatis, Boersius Societatis Indicae causa legationem in Britanniam obiit, similemque inde atque è Gallia et laudem retulit, et cognitionis fructum percepit. Domum redux, interjecto quodam tempore, munere *Advocati Societatis Indicae* se abdicavit, aliud capessivit, magis illud cum potestate et interiore reip. administratione conjunctum: factus est *Pensionarius* civitatis Leidensis: sic autem vocabantur tunc civitatum Hollandiae singularum, jus suffragii habentium, legati ordinarii ad senatum Ordinum Hollandiae, penes quem summa potestas Populi Hollandiae erat: hoc autem munus priori praeoptabat,

quod minus occupatum negotiis esset, et plures opportunitates offerret tuendarum partium Nassavicarum, quas ipse sequebatur, non suae sed publicae utilitatis caussa sic faciendum judicans. Jam enim tunc in Gallia fervebant istae lites inter factiones Regiam et Popularem, mox in apertam vim erumpentes (1789), et victrice Populari, in omnem atrocitatem proruentes. Ad hujus factionis progressus, frequentes sane et magnos, nostrorum hominum Antinassavicorum animi erigebantur, ejus exercitus ut datores libertatis, aequalitatis, et fraternitatis, quas se allaturos profitebantur, exspectabant. Incredibile dictu est, quam late hic error serpere coeperit, quamque multos infatuaverit, seniores etiam, veteres magistratus, priore reip. conversione loco motos, alios nil passos, tum vero juniores, qui sibi nescio quam cum libertate communionem intercedere putarent. In his fuerunt quidam studiosi adolescentes, qui ad legum decorique contemtum progressi, Boersium in auditorium publicum audiendae orationis caussa venientem cum irrisione exciperent, occentantes dictum quoddam, quod ipsi partes Nassavicas defendenti in Senatu Leidensi exciderat, indeque ad vulgi notitiam emanaverat. Hic tam inaudita petulantia commotus, et magis etiam facinoris im-

pu-

punitatem indignans, simul et instantem patriae sortem commiserabatur, in quam aditus hostibus pararetur, qui eam, nulla legum conditionumque habita ratione, libidinoso et superbo sub imperio vexaturi et exhausturi essent. Quod plane ita evenit. Nam quamvis laudans Gallicum populum ut ingeniosum, humanum, affabilem, comem, qualem ipse praesens expertus erat, hoc referebat ad eum, qui sub justo regio imperio fuerat: ad eum, qui postea fuit, nil minus. Tunc vero istis cogitationibus dies noctesque agitatus in gravem morbum incidit, eumque cum delirio conjunctum, quod subinde in furorem abiret. Igitur custodiebatur domi suae et à suis. Nam quamvis caelebs, sua ipse in domo habitabat, eaque famulitio instructa et supellectile, omnibusque partibus, quibus lauta domus censetur. Accidit paulo post, ut Gallico exercitu omnem agrum urbesque hujus reip. occupante, dominarentur partes Antinassavicae, et exauctoratis veteribus magistratibus novos ad novam formam imperii popularis constituerent: quosdam etiam Professores Leidenses, ut deditos maxime Nassavicis partibus, suis cathedris privarent, Pestelium, Kluitium, et fratrem Boersii Carolum, Theologiae Professorem, ipso minorem quadriennio. Hic, ut princeps cognatorum,

quorum in tutela et curatione aegrotans frater esset, hujus fortunis sic se consulere debere existimavit, ut eum, relicta sua domo et familia, curandum alendumque collocaret certa annua mercede apud magistrum hujusmodi custodiae, quae Delphis est. Quod hic optimo consilio fecerat, id aegrotans frater summam injuriam interpretans, vehementius etiam quam antea animo exasperatus et furore incensus est; ut malum arte insanabile dubiae medicinae temporis relinqueretur. Vicit tamen naturae bonitas. Nam quum isti fervores et aestus quinto demum anno aliquantum resedissent, ut erat ingenio actuoso et scientiae cupido, vetera sua studia desideravit, librosque suos arcessivit. In his maxime eum ceperunt ac tenuerunt Graeci, eorumque quotidiana lectione oblectatus et paulatim in quamdam rationis viam reductus est. Legit Aristophanem et Herodotum. Tunc quoque nostrum congressum requisivit. Veni ad eum cum Paradysio. Excepit nos lacrimans: mox ad pristinam hilaritatem rediens multa narravit, nil de suo morbo, quippe se semper sanae mentis fuisse putans: caeterum ipse omnem sermonem occupans, ex alio aliud memorans, satis prudenter disserebat, unum saltem alienationis vestigium servans, quod se non Boersium, nec patris, qui

vul-

vulgo haberetur, sed alicujus Germani dynastae, quem nominabat, filium esse dictitabat. Proximo mense solus eum invisi, si forte solum magis audiret, sibique illum errorem de patre suo eripi pateretur. Ipse rursus sermone in omnia alia deferebatur, nec interpellandi ansam praebebat. Surrexi ut abiturus, et „ Vale, inquam, spero nos proxime alio in loco collocuturos." Ad haec ille, quod volebam, erigitur: et „ Ecquid, inquit, habes à meis, cognatis mandati, ut mecum agas."
„ Nil equidem, inquam, novi habeo; nam horum semper fuit propositum, ut ex hac tutela exires, quamprimum constitisset te plane sanatum esse: nosti enim profecto te aegrotasse: vin' verum audire?" Quum se velle dixisset, narravi de morbo, delirio, furore. Haec omnia ei nova et inaudita accidebant, nil recordabatur, nisi se voluntate cognatorum, ipsius bonis inhiantium, vi è sua domo abreptum, in hanc custodiam deportatum esse. „ Ergo, inquam, si vis sanatus haberi, depone hunc de cognatis, et illum de patre errorem. Neque est, quod te istius morbi pudeat. Est haec à Graecis dicta μελαγχολία, quae non in tardos et hebetes, sed in veloces et ingeniosos, homines incidit: de qua Aristoteles in Problematibus (XXX, 1); indeque Cicero in Tuscu-

culanis (I, 33: III, 5). Favorinus autem, egregius philosophus, Plutarchi aequalis, his eam verbis ornat, ut dicat, *eam non parvis nec abjectis ingeniis accidere*, *ἀλλὰ εἶναι σχεδόν τι τὸ πάθος τοῦτο ἡρωικόν*." Haec et talia libenter audiit, mihique discedenti promisit, se istos errores depositurum. Haec inter nos acta sunt Kalendis Juniis a. MDCCCI: et, paucis interjectis diebus, libertati suaeque ipse tutelae restitutus est. Rediit paulatim pristina vitae consuetudo, et illae supra laudatae dotes, sermo utilium jucundarumque rerum commemoratione frequens, perfacetus, sine offensione et acerbitate; immo in omni congressu urbanitas et cum benevolentiae significatione amabilitas. Quamquam habuit haec laus quandam exceptionem primis post recuperatam sanitatem et libertatem annis, ut nonnumquam ei disserenti duriora quaedam adversus amicos praesentes dicta exciderent; quae hi silentio praetermittebant, affectionis veteris accessionem interpretantes; ne adversando mentis nondum satis firmatae proclivitatem sollicitarent. Sed illis morbi reliquiis tempore detritis atque abstersis jucundior cunctis accidebat. Nemo autem unus fuit, qui plures homines nosset, nemo cui cum pluribus vel notitia, vel familiaritas, vel consuetudo, vel aliquid offi-

cii

cii intercederet; ut per totam Batavam terram haberet, apud quos devertere et commorari posset. Et veterem hunc suum morem repetivit, simul ac rursus rerum suarum dominus esse coepisset; continuo familiares illos et amicos invisit: quibus omnibus gratus et acceptus hospes venit. Ventitavit etiam in conventus Societatum eruditarum, quarum Socius fuerat, Leidensis, Harlemensis, aliarum; nam fuit multarum. Et ipse sodalitium instituit, quo, ut suo opere, maxime delectabatur, cujus conventus convivio, menstruis intervallis, celebraretur ab hominibus doctis vel doctrinae amantibus, in *Aggere Leidensi*, vico medio trium urbium, Leidae, Hagae, Delphorum, ubi ipse habitabat: hoc sodalitium à suis amicis obiri valde cupiebat, eosque cum adducebat, tum arcessebat: et ipse ei gratificans aliquoties veni. Publici autem muneris nullam partem attingere voluit, quamvis delati. Veluti quum Meermannus V. Ill., idem nunc nobis lugendus, sed quum is sub Rege Francico, Cubicularius, Administer, Praefectus Institutionis Publicae factus esset, Boersiumque, auctoritate Regis, collegam hujus praefecturae allegisset, ejusque nomen ut allecti in Ephemeridibus publicis prodidisset, ipse mox in iisdem Ephemeridibus epistolam edidit ad Meer-

Meermannum, recuſans illud munus, humaniter quidem, ſed iis tamen verbis, ut facile appareret, quid de Francico dominatu ſentiret. Scripſit et alia, ſed fictis ſub nominibus: in quibus et libellus fuit pertinens ad indignationem injuriae Amſtelodamenſibus à Francico Rege, ut ajebat, factae, qui illis Curiam ademisſet, ſibique regiam fecisſet. Sed hae mox aureae viſae ſunt res, per inſecutas ferreas. Patria Francica provincia fit. Continuo aes ejus alienum, ingens illud, in cujus foenore plurimi cives poſitas habebant ſuas pecunias, triente circumſcribitur. Hinc plurimorum civium fortunae everſae. Accedit militaris conſcriptio: vectigalium acerbitas: publicanorum exactiones: veterum omnium rerum commutatio: alia, quae recenſere infinitum, et ſingularis ſcriptionis argumentum, ſit. His in calamitatibus Boerſius magis aliorum, quam ſua causſa, dolebat. Nam quamvis et ipſe publici aeris circumſcriptione magnam fortunarum partem amiſerat, tamen, quia ſolus erat, et res ſuas diligenter diſpenſabat, habebat ſatis reliqui, unde liberaliter viveret, at non ſatis unde aliis, uti ſolebat, ſuccurreret. Fecit nihilominus, ut nil ex vetere ſua erga alios beneficientia imminueret. Omnino magis ſpecie illatae indignitatis, quam ablatae utilitatis, mo-

movebatur. Veluti ineunte Novembri anni MDCCCXII, quum Academia ad Francicum modum ordinaretur, Profesforibus novo Francico vestitu, plane illo abhorrente a gravitate moris majorum, indutis, ipse praesens ita indignatus est, ut sibi temperare non posset, quin sensum animi vultu et voce promeret. Ecce vero! illo ipso tempore, quo Libertas Batava conclamatur, sepelitur, et Francicae dominationi in perpetuum subjicitur, dominus in Russia ruit, indeque mox fugiens, proximi anni eodem mense Novembri trans Rhenum rejicitur, et Libertas Batava reviviscit. Boersius hoc Virgilianum in se accommodabat:

Libertas - sero tamen respexit inertem,
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, et longo post tempore venit.

Et sic erat: Francico illo undeviginti annorum tempore in privata quiete acto, ejus aetas magis otium quam negotium postulabat. Attamen ad remp. gerendam se revocari passus est. Et delata ei sunt amplissima munera: lectus est Statuum Generalium Collega Primi Collegii: et vero unus è Quinqueviris curandae Academiae Lugduno - Batavae. Nos ejus prudentiae doctrinaeque fructum percepturi eramus moderan-

randâ ab eo ad majorum morem Academia; quem ejus fructum nobis abstulit dura quaedam fati iniquitas, non nisi biennium Libertati restitutae ipsum superesse, nec destinatum munus inire, sinens. Obiit septuagesimo quarto aetatis anno, d. XXVIII Decembris a. MDCCCXV, omnibus insigne desiderium suavitatis virtutumque suarum relinquens.

NAR-

NARRATIONES,

ET

LIBRORUM SVMMARIA, EPITOMAE, IVDICIA.

NARRATIONES,

ET

LIBRORUM SVMMARIA, EPITOMAE, IVDICIA.

I. Cogitantibus nobis, quanta fit cum utilitas tum jucunditas etymologiae, quae vocabulorum origines et fignificationes ab eorum ultimis, quoad ejus fieri poteft, principiis repetit, faepe mirum videri folet, multos effe, qui docti haberi velint, nec hujus rationis vim ac praeftantiam ex vero aeftiment, nec recte intelligant; atque adeo dictitare audeant, nil fua intereffe, unde vocabula orta fint, fatis fibi effe, fcire, quid fignificent. Quorum fimile eft negotium illis, qui cibis ita vefcuntur, ut non curent fcire, unde et qualis quisque fit, purus an mixtus, peregrinus an patrius, terreftris, aquatilis, ex pecudum, pifcium, avium, frugumne, pomorum, olerum, baccarum, vel ex alio genere fint: dicentes, nil fe hac cognitione ad fuaviter lauteque vefcendum juvari.

R 2 De

De quibus merito usurpemus illud, naturam eos, veluti pecora, pronos atque ventri obedientes finxisse. Sed etymologia, si nil nisi origines vocabulorum aperiret; vel hoc uno nomine satis commendata esse deberet, cum quia in principiorum indagatione versatur, quod est officium philosophi, tum quia necessaria pars est Grammaticae, ideoque Dialecticae, quae ipsa est pars Philosophiae. Nunc vero insignem voluptatis intelligentiaeque fructum adfert: nam et inventione veritatis oblectat, quam, in ipso vocabulo latentem, Geometriae instar eliciens et manifestam animo objiciens, humanissima eum voluptate perfundit: et in scriptoribus antiquissimis abditum sensum vocabulorum singularium, nec alibi proditorum, certa ratione explicat: quo in negotio maxime apparet, *vir viro quid praestet*, imperito hujus rationis etymologicae, non nisi Lexicographis, Grammaticis, Scholiastis, quamvis veteribus, fidente, peritus et versatus in illa ratione, quae *analogia* a nobis usurpatur, prodita recentiore aetate a principibus in Gallia viris, Stephano, Scaligero, Casaubono, Salmasio, Menagio, indeque assumta et exculta ab Hemsterhusio ejusque discipulis, nunc quoque in Batavorum scholis viget. Sed hodiernis quoque linguis eam adhibuerunt, alii aliis, Francicae et Itali-

cae

cae idem ille Menagius, earumque origines insigni in lumine posuit, nec hujus beneficii debitam gratiam retulit, passim vexatus malevolorum voculis, quae ne nostra quidem aetate deficiunt, ut subinde nobis viri doctrinam laudantibus sint qui occinant, hiccine est ille, qui tam ridiculas etymologias excogitavit. Sane, inquam, ridiculas, nonnullas, opinione quidem imperitorum, quibus veluti pueris nova et insolita fere dubitationem et risum movent, non judicio peritorum, qui omnes hujus operae praestantiam sponte agnoscunt ac praedicant. Ergo sua manet apud doctos et prudentes laus Menagio, ejusque *Dictionarium Linguae Francicae* aliquoties à claris viris auctum edendoque repetitum est.[3] Sed haec hactenus. Nostra enim aetate vir elegantissimae doctrinae, idemque commendatus scriptione complurium librorum, philosophi, historici, litterarii, et varii argumenti, *Carolus Pougens*, ab integro hoc argumentum ingressus, trigesimum sextum abhinc annum, majus et majore cum apparatu opus moliri coepit *Thesaurum Originum Linguae Francicae.* Ad quam materiam quum adhiberet non solum philosopham rationem, et eos fontes, qui Menagio adfuerunt, sed alios etiam, qui ei defuerunt, Septentrionalium et Orientalium Linguarum ubério-

riorem cognitionem; merito fperamus, tale hoc opus exiturum, ut priorum in hoc genere artificum, ipfius Menagii, Johnfoni, Adelungi, aliorumque induftriam longe fuperet. Modo dii immortales optimo viro, ejusque disciplinae alumno et operis adjutori, eruditisfimo Theodoro Lorin, vitam viresque confervent. Cui quidem voto nostro deos annuisfe nuper praefenti indicio animadvertisfe videmur. Nam quum ipfe cum familia in praedio prope Suesfionem viveret, nosque illa hactenus ineunte Decembri fcripfisfemus, mox confoederatis populis fuas injurias ultum Franciam ingresfis, et recto undique itinere Lutetiam petentibus, accidit, ut menfe Martio belli impetus magnam partem ad Suesfionem confifteret, urbs capta receptaque iterum caperetur, regio conculcaretur, praedium vastaretur, domini cum familia vix ex infestis telis vitâ fervatâ in urbem evaderent, indeque Lutetiam confugerent: ubi lenior laetiorque omnium opinione duris laboribus obtigit exitus, ac terrarum orbi diu expetita pax tandem reftituta est. Sed redeamus, unde digresfi fumus, ad Thefaurum Etymologiae. Hic in illa, quamvis fumma, fugae trepidatione, custodiae fidelis amici traditus, integer falvusque manfit. Continet vero fupra quatuor millia locorum, id est vocabulorum etymologice ex-

explicitorum: quorum nobiscum eos communicavit, qui sunt de his vocabulis: *Ananas*, *Anthrax*, *Agape*, *Allemande*, *Amazone*, *Amethiste*, *Amnios*, *Araignée*, *Argile*, *Arsenic*, *Automate*, *Azerolle*, *Babouche*, *Bande*, *Barde*, *Baromêtre*, *Brayes*, *Cauchemar*, *Chuchoter*, *Cinabre*, *Cinnamome:* in quibus omnibus apparet singularis cum eruditionis copia et varietas, tum naturae observatio et judicii acumen, tum vero orationis mira proprietas ac perspicuitas; ut ex hac operis ratione et amplitudine facile existimari possit, quantam illius editio Etymologicae doctrinae accessionem allatura sit. Programma ejus dudum prodidit auctor in compluribus Diariis Francicis et Anglicis, tum in principio libri sui inscripti: *Tentamen* (*Essai*) *Antiquitatum Septentrionis* 1797.

II.

Specimen Juridicum Inaugurale, de Lege VIII. *C.* „ *Si certum petatur.*" *Accedunt Tria Capita Observationum in Ciceronis librum Secundum Academicarum Quaestionum. — Quae pro gradu Doctoratus, summisque in utroque Jure Honoribus ac Privilegiis, in Vniversitate Lugduno-Batava, rite et legitime consequendis, Eruditorum examini submittit* GVILIELMUS THEODORVS BAVMHAVER, *Amstelodamensis, die* XXIX *Martii, anno* MDCCCXI. *h. l. q. c.*

Hic est, de quo posuimus illa, in Addendis ad Phaedonem nostrum, p. 335. „ Quaestio de morte sibi ultro consciscenda late patet in omni Veterum Philosophiâ: et in primis celebratur à Stoicis in loco περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς. De qua quo minus nunc diceremus, in caussa fuit cum nostrum brevitatis consilium, tum quod librum de ea, propediem edendum, conscripsit discipulus noster, Guilielmus Theodorus Baumhaue-

hauerus, multae juvenis humanitatis, variae doctrinae, et in Graecis Latinisque Literis probe verſatus." Libri illius tunc propediem edendi editionem intercepit patriae noſtrae in Francicam provinciam commutatio, quae et civium fortunas labefactavit, et adolescentium academicorum ſtudia deproperavit. Itaque et B. noſter, quum ſibi illam Stoicam quaeſtionem argumentum deſtinasſet disputationis habendae ad conſequendum gradum Doctoris Juris, ad eamque tantum apparatum collegisſet, ut ei nulla pars materiae in antiquis monumentis proditae ad hoc propoſitum ſpectans deesſe videretur; incidit denunciatio novae ordinationis Francicae ad certum diem noſtris in Academiis inſtituendae; unde, ut alii adolescentes, praeoptans priſtino more illum gradum capesſere, ſepoſito ampliore argumento ſumſit brevius, quod citius et ante illum certum diem perſcribi et in ſpecimen legitimum produci posſet. Fuitque id, ut titulus oſtendit, bipertitum: utrumque accurate eleganterque tractatum, ſed alterum ſubtilius, magisque noſtris cum Literis conjunctum, quibus ſe totum penitus dederat; ut eas publice aliquando docendas ſibi proponeret; tunc vero ordinis judiciarii factus, Bruxellas delatus, in ſupremo tribunali honorificum locum adeptus, nunc Brugis tenet. Sed hujus Literariae Partis om-

nem copiam recensere, quandoquidem longius est, quam pro nostrae scriptionis finibus, certe operae pretium est, capitum et sectionum titulos referre. Cap. I. p. 1 — 35: *Stoicorum Doctrina De Visis: περὶ Φαντασιῶν*. Cap. II, *De Evidentia: περὶ ἐναργείας* p. 36 — 89. §. I. *Constitutio Loci. Pars Prior*, §. II: *De Sensuum Veritate, ex usu, exercitatione, et virtute*. §. III. *De Rationis Veritate, ex artibus et rerum scientia*. §. IV. *Carneadea Visorum distributio*. §. V. *De Repugnantiis, quas Stoici Academicis objecerunt*. §. VI. *De Inanibus Visionibus, sive de phantasmatibus et phantasticis*. §. VII. *De Indiscretis*. §. VIII. *De Sorite dubio et inexplicabili, sive de Acervali et Mentiente. Pars Posterior*. §. XI. *Sapientem adsentiri quidem, sed nil opinari, id est, numquam adsentiri rei vel falsae vel incognitae*, *Cap.* III. *Observationes Miscellaneae in Ciceronis Librum Secundum Academicorum, qui inscribitur Lucullus p.* 89 — 113. Hinc apparet materiae copia et varietas. Accedit vero stili bonitas et elegantia, rationis dialecticae et grammaticae diligentia, proprietatis cum Graecae tum Latinae notatio, multorum locorum et explicatio et emendatio; ut hujus libri lectio jucunda futura sit omnibus antiquae doctrinae studiosis, necessaria etiam iis,

si-

siqui hoc argumentum et omnino hunc Ciceronis librum recte cognoscere velint.

III.

Theses Juridicae Inaugurales. — *Quas pro gradu Doctoratus, summisque in utroque Jure Honoribus ac Privilegiis, in Vniversitate Lugduno-Bataua, rite et legitime consequendis, publico ac solemni examini submittit* PETRVS VAN LELYVELD, *Lugduno-Batavus, die* XXX *Martii, a.* MDCCCXI. *pagg.* 38.

Eadem est hujus libelli causa, quem scriptor edidit octavo anno disciplinae suae academicae, in Literis Graecis, Latinis, et Historia, nostris etiam usus scholis: quum sibi tempus capessendi summi honoris academici longinquius proposuisset, et amplioris dissertationis amplius argumentum περὶ ἀτιμίας· i. e. *de infamia*, jam conscripsisset, occupatus illa denunciatione Francica, ad brevius, et breviori tempore expediendum, argumentum descendit *Thesium* nomine vulgo frequentatum. Hac sunt numero XXII, ea-

earumque complures copia ac diligentia integrarum inftar disputationum. Summam earum et epitomen ipfius auctoris verbis referre quum non posfimus, nos quas tribuimus fuperiori disputationi laudes doctrinae et elegantiae, easdem cum hac libenter communicamus.

I V.

Specimen Juridicum, continens Explicationem Legis V Codicis, de contrahenda et committenda stipulatione: Disputationem de Emancipatione secundum Codicem Napoleonticum: et Theses varii argumenti: Quod pro gradu Licentiatus rite et legitime consequendo, Facultati Juridicae in Academia Leidensi exhibuit, et publice defendet JANVS ADRIANUS VAN DER HEIM, *Roterodamensis, die* XXIX *Julii, anno* MDCCCXIII, *hora* XII. *Leidae. p.* 48.

Exftant in hoc titulo indicia legis Francicae jam in nostra Academia conftitutae: caeterum, libellus habuit eamdem nascendi conditionem ac duo fuperiores. Scriptor jam quatuor annos tri-

triverat apud nos in Literarum ac Jurisprudentiae ſtudio; ſibique propoſuerat argumentum elegantis doctrinae ſpecimini ad conſequendum gradum Doctoris, Paradoxa Ciceroniana; quum ſubito denunciatur delectus ſatellitii honorarii, ipſeque in istam militiam conſcribitur. Tum vi et injuriae jus et exceptiones opponit; quibus fruſtra conſumtis, gradum Licentiatus asſumit, ſi quid is forte in praeſentem cauſſam prodesſet: conſcribit ſpecimen brevioris argumenti, vetere et ampliore ſepoſito: nec tamen in praefatione profiteri ei licuit, iſtud coactae militiae officium ſibi cauſſam fuiſſe deproperandi ſtudiorum conſilia. Abducitur Metim ad alios populares hujus militiae focios: ibi manet usque ad menſem Novembrem: tum evadit cum uno commilitone, et ſalvus ad ſuos redit. Sed nos videamus libri breviter eos locos, qui ad nos noſtrasque Literas ſpectant. Praefatio ad patrem ſuum Antonium van der Heim, virum Amplisſimum ac Doctisſimum, Vrbis Roterodamenſis quondam Conſulem, ſane eleganter ſcripta, habet etiam quaedam de nobis noſtraque disciplina grate et peramanter dicta. Omisſis autem duabus partibus juridicis prioribus, ex Theſibus has annotamus, ut propius noſtris cum ſtudiis conjunctas. „ XII. Error quorumdam, Leges XII Tabb. Romanis pueris ediscendas fuiſſe propoſitas, ortus ex ma-

male intellecto loco Ciceronis Legg. II. 4, 23; qui testatur quidem se illas puerum didicisse; unde non sequitur idem illud fecisse omnes Romanos pueros. XIII. Non ex Lege XII Tabb., sed à primis reip. Rom. temporibus, originem duxisse successionem ab intestato, recte statuit Montesq. — XIV. Licet Serv. Tullius in oratione, qua imperium suscepit, se cauturum promiserit, ne umquam quis in posterum ob aes alienum in nervum duceretur, ut narrat Dion. Halic. p. 215, promissis his illum stetisse, ex eodem auctore probari non potest. XV. Male in Scepticis nonnulli numerant Socratem." XVI. Diversis et contrariis virorum doctorum de Ciceronis animo et moribus judiciis adhibetur sententia à nobis è Plutarcho prodita Biblioth. Crit. Part. XI, p. 81. „ Est hic error à malevolentia profectus, in historia de magnis viris maledicam famam captare, eorumque factis et consiliis bifariam honeste et secus proditis, honestiorem rationem praeterire, ac deteriorem sequi." — Tum etiam confutantur, qui Ciceronem nullam de philosophia certam habuisse sententiam contendunt — XVII. Immortales animos esse, jam ante Thaletem theologos et poëtas statuisse, et Veteres plerosque, exceptis paucis, illam sententiam firmis argumentis tenuisse. Haec breviter et summatim a nobis re-

relata satis indicant scriptoris doctrinam; ut intelligatur, quam erudita et elegans destinata commentatio Ciceroniana futura fuisset, quamque dolendum sit, eam temporum iniquitate interceptam esse.

V.

ΓΑΛΗΝΟΥ Προτρεπτικὸς ἐπὶ τὰς τέχνας. GALENI *Adhortatio ad Artes, cum sua annotatione, et versione D. Erasmi*, *edidit* ABRAHAMVS WILLET. *Lugduni Batavorum: apud S. et J. Luchtmans*, MDCCCXII. 8. *p.* 153.

Quod si nostra aetate rari sunt in hac Academia studiosi medicinae, qui Graecas Literas discant, ut adhuc omnino perrari fuerunt, horum certe illi, qui eas non solum discunt, sed etiam docere, aut editis libris interpretari, possunt, miraculi instar habendi sunt. Hoc in generi est editor hujus libri: qui natus Amstelodami, patre Francisco Eduardo Willet, celebri Doctore Medicinae, ipse destinatus huic studio, ibi in puerili disciplinâ initia Graecae linguae percepit, eaque in nostram Academiam delatus ad hanc facultatem excoluit, cujus in hac

hac editione specimen exstat. Edendi autem hujus libri consilium suscepit è censurâ nostrâ editionis Koehlerianae, prodita in Bibliotheca Crit. Part. VI. ubi eum meliore editione dignum perhibuimus, ut plenum variae et elegantis doctrinae. Itaque novus editor operi omne officium criticum diligenter adhibuit; ex variis lectionibus priorum editionum, tum suis conjecturis, contextum Graecum emendavit: tum res dictionesque explicuit: sententias veterum à Galeno frequenter adhibitas ad suos auctores retulit: qua in re etiam nostra admonitione et animadversionibus in illa censura expromtis usus est. Edito hoc libro, mox se ad medicinae studium retulit, nobis etiam suadentibus numquam intermissum, gradumque Doctoris capessivit. Et recte quidem. Erant enim tunc tristia tempora, et tristiora exspectabantur. Et illud vulgare *Dat Galenus opes* non ad ejus scripta edenda valet, sed ad eum medica arte factitanda sequendum: quod nunc duce et auspice patre Amstelodami agit, nec sic abstrahi se à nostris Literis patietur, quin subinde reditus ad eas captet, per quos nobis speratam editionem Galeniani vel operis vel Lexici absolvat.

V I.

NICOLAI PARADISII *Opuscula Academica. Accedunt* N. G. OOSTERDYKII *Prolusio, et* HERM. TOLLII *Narratio de Vita* NICOLAI PARADISII — *Edita à filio* NICOLAO PARADISIO, *Med. Doctore. Lugduni Batavorum* 1813. 8. *pagg.* 191.

Hic vero liber et voluptatem nobis adfert et dolorem: hunc recordando obitu optimi Paradisii: illam cognoscendis ipsius scriptis, et vita, sic à Tollio nostro enarrata, ut plane illud Callimacheum appareat — *quos blandae adspexere puellos Musae oculis, illos et coluere senes*; qui quinque et viginti annos ab academicâ vitâ remotus, et in quibusvis aliis negotiis versatus, redux eamdem Literarum facultatem Latinaeque orationis sanitatem retulit. Similis laus debetur Oosterdykio, V. Cl., qui Prolusionis suae illo loco, breviore quidem, quippe quinque paginarum, Paradisii mortem, damnumque inde Academiae illatum, tam dolenter deplorat, virique in arte medica docenda et tractanda facultatem tam diserte exponit, ut suo exemplo

S de-

demonſtret, haereditariam illam gentis Ooſterdykiae dotem, Latinae facundiae cum ſcientiâ medicinae conjunctionem, in ipſo non decreſcere. *Opuſcula Academica* haec ſunt. I. *Specimen Pathologicum de Natura Inflammationis*, ſcriptum gradui Doctoris Med. adipiſcendo, a. MDCCLXIII. II. *Oratio de diligenti Therapeutices Vniverſalis ſtudio, maximo recte medendi inſtrumento, habita* (auſpicando muneri Profesſoris) d. II. Octobr. a MDCCLXXXIV. III. Oratio de Εὐθανασία naturali d. VIII. Febr. IV. *Lectiones Publicae, de vera Medicinae Theoreticae ratione, ejusque finibus, habitae a.* MDCCLXXXV. Paradiſius, qui raro ſcriberet, rarius etiam ſcriptum ederet, niſi more Academiae coactus, veluti illud Specimen et duas Orationes, Publicas Lectiones, quae ſunt numero quinque, ſemel habitas in ſcriniis ſervabat, nec edi curabat, quamvis esſent lectu dignisſimae, ut ſcriptae ab homine, qui medicinae et rationem et uſum, theoriam et praxin vulgo dicunt, perfecte teneret, multa legisſet, vidisſet, obſervasſet, Graecos etiam et Romanos ſcriptores ſtudioſe tractaret, denique genus orationis adſerret diſertum, purum, perſpicuum. Ergo filius utile et gratum omnibus elegantioris medicae disciplinae amantibus fecit hoc volumine edendo, eique his Lectionibus ad-

adjiciendis. Est hic Nicolaus Paradisius Medicinae Doctor, a patre ipso ad egregiam hujus artis facultatem institutus, eamque nunc factitans Leidae, insigni laude dexteritatis et felicitatis, aliquando paterno exemplo ex professoria cathedra, ut speramus, traditurus.

V I I.

HENRICI WAARDENBVRG, *Harlemensis Gymnasii Rectoris*, *Opuscula Oratoria*, *Poetica*, *Critica*. *Harlemi* MDCCCXII. 8. *pagg*. 313.

Scriptor eruditione et modestia cognitus, brevi post editum hunc librum mortuus, magnum doctis hominibus dolorem fecit, Scholae Harlemensi etiam desiderium reliquit diligentis institutionis: quam nos quoque cognovimus in discipulis, qui ex illa ad nos venerunt. Opuscula singula, jam separatim edita per tempora Programmatum Scholasticorum, in Indice his argumentis notantur: *De Argumento Elegiae. De Ortu et Fortuna Academiae Lingensis. De Summo momento, quod mores Principum afferunt ad mores universae civitatis —. Oratio*

de accurata Veterum lectione, reip. gerundae studioso utilissima. Carmina varii argumenti. Observationes Criticae in Homeri Hymnos. — in Ciceronem. — in Virgilium. — in Tibullum. — in Propertium. In explicatione doctrinae est brevitas et elegantia, cum quadam significatione humanitatis, in quam conveniat illud, *Emollit mores, nec sinit esse feros.*

VIII.

P. OVIDII NASONIS *Heroides, et* **A. SABINI** *Epistolae, è Burmanni maxime recensione editae, cura* **DAVIDIS IACOBI VAN LENNEP**, *qui et suas animadversiones subjecit. Editio altera, priore auctior et emendatior. Amstelodami apud Petrum den Hengst et Filium.* **MDCCCXII.** 12 *maj. p.* 335.

Animadversionum diligentia cognita erat è priore editione, a. MDCCCIX. facta, cujus exemplis è bibliopolio divenditis, adornata est haec altera, cujus incrementum apparet cum in numero paginarum, quae sunt duodecim amplius quam prioris editionis, tum, necessario in-

instrumento ad usum lectorum, duobus *Indicibus*, altero *Auctorum*, *qui in Animadversionibus illustrantur aut emendantur:* altero, *rerum et verborum*, *quae in iisdem explicantur:* quos in proxima editione retentum et auctum iri speramus. Novam enim, locupletiorem ampliorem que, molitur Lennepius, V. Cl., multis magnisque instructus copiis, Graeca interpretatione Heroidum à M. Planude facta, variis lectionibus codicum scriptorum circiter quadraginta, symbolis virorum doctorum haud paucis. Cui perficiendae ut editori et vita, et otium, et vires, obtingant, cum ipsius tum Literarum caussa optamus.

I X.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ *Μηχανικὰ Προβλήματα.* ARISTOTELIS *Quaestiones Mechanicae: recensuit et illustravit* JOANNES PETRVS VAN CAPELLE. *Amstelodami, apud Petrum den Hengst et Filium* MDCCCXII. 8. *pagg.* 288.

Quum in omnis libri interprete duplex inesse debeat cognitio, altera rerum, verborum altera, id est materiae et linguae; hac quidem li-

bri mathematici interpretem exigua et levi contentum esse posse, vulgaris est opinio, sed affinis illa errori, et multas habens cautiones. Nam, quamquam hoc argumentum non capit ornatum orationis, sed simplex et unius modi brevissimis enunciationibus, formulis, signis, figuris, explicatur; tamen ipsa perspicuitas, quam unam orationis laudem consectatur, postulat interpretis facultatem, cum emendandae scripturae, vel è melioribus libris, vel ex conjectura, tum observandae significationis ac proprietatis, non modo singulis in nominibus et verbis, sed et in sententiis et constructione. Jam hujus interpres libri, et scientia argumenti valuit, nec linguae cognitione caruit, et utriusque generis officio recte functus est. Priorum editionum copias suis assumsit et auxit. Graeco operi, quem *contextum* vocant, emendando adhibuit varias lectiones trium codicum scriptorum, duorum Parisiensium, unius Leidensis: has quavis pagina sub contextu posuit, et vulgatam interpretationem Latinam subjecit: porro omnem rerum verborumque difficultatem in Animadversionibus explicuit; quibus dum *Indices* addidit, *Vocabulorum* et *Auctorum*, denique in fine adjecit quatuor eleganter expressas tabulas diagrammatum, id est *figurarum mathematicarum*. Operae pretium est appo-

ponere verba Jacobi Morellii, viri humanisſimi, principis Bibliographiae, Praefecti Bibliothecae Venetae, ex epistola, hoc libro jam edito, ad nos ſcripta. „ Subit modo cogitatio de Variis Lectionibus Mechanicorum Aristotelis, ex codice meo, Sec. XV ſcripto à Joanne Symeonaci Protopapa Chandacis in regno Cretae, homine doctrina praeſtanti, olim excerptis pro tomo ſecundo Bibliothecae meae manuſcriptae. Has igitur non paucas, neque ſpernendas, ſcholiis etiam nonnullis auctas, ſi Jo. Petro van Capelle, quem Amſtelodami opus illud denuo editurum esſe novi, opportunum habere ſit, idque tua ex ſententia fiat, lubens offerrem, et ut facilis eas mittendi modus adesſet optarem."

X.

Laudatio JANI DOVSAE, *Auctore* MATTHIA SIEGENBEEK. *Lugduni Batavorum* MDCCCXII. 8. *p.* 168.

Auditio grata civi Batavo, in recente dolore amisſae civitatis Francico ſub domino, revocans memoriam nascentis reipublicae excusſo Hispanico jugo. Fuit enim hic vir illius con-

verſionis magna pars, magnum momentum. Et Siegenbeekius V. Cl. hanc Laudationem recitavit loco anniverſariae orationis, Rector Academiae magiſtratu abiens d. VIII Febr., a. MDCCCX., quo tempore denunciata jam patriae noſtrae ſorte in Francicam provinciam redigendae, optimus quisque civis novitatem et inſolentiam istius libidinis indignabatur. Quo anno et nos ſimili conſilio Protrepticum noſtrum diximus *disciplulis ad Literarum ſtudia confirmandis*, editum in ſuperiore Philomathiae libro, obſequentes veterum monito ſapientum, in communi patriae calamitate auxilium ſolatiumque petendum esſe ex domesticae virtutis ac proſperitatis ſtudio, commentatione, et cogitatione laetioris fortunae; prouti laborantes oculis monemus, ut aciem à ſplendidis ferientibusque coloribus in virides mitesque convertant. Liber autem, cujus titulum praeſcripſimus, duas habet partes. Prior est ipſa *Laudatio*, paginis 42, Viri virtutes, cum ingenii, tum animi et morum, eruditionem, genus, vitae partes et facta publica ac privata, perſpicue narrans. Altera conſtat *Annotationibus*, quae referuntur ad illos Laudationis locos probandos cum è ſcriptis Douſae et aequalium, tum ex hiſtoria civili et literaria, tum è prioribus de vita rebusque illius ſcriptoribus, et in varietate ar-

gu-

gumenti cum accurata diligentia explicantur. Vtraque habet lectionem utilem et jucundam, non folum Batavis humanioribus, fed et exteris nostrarum Literarum ftudiofis.

X I.

Incerti Auctoris, (vulgo Pindari Thebani) Epitome Iliadis Homericae; ex recensione et cum notis THEODORI VAN KOOTEN, *edidit, praefatus est, suasque animadversiones adjecit,* HENRICUS WEYTINGH, *apud Campenses Gymnasii Publici Rector. Lugduni Batavorum et Amstelaedami, typis Luchtmannianis et Holtropianis,* MDCCCIX. 8. *pagg.* 330.

In libris veteribus Latinis feruntur quidam incertae auctoritatis et aetatis, de Bello Trojano: duo, profa oratione: *Dictys Cretenfis*, hoc ipfo titulo, *de Bello Trojano* Libri VI: *Daretis Phrygii de Excidio Trojae* Hiftoria: duo, carmine hexametro: alter, is quem praefcripfimus: alter, fex libris *de Bello Trojano*, fub hac infcriptione veteribus in editionibus prodita:

Daretis Phrygii, *Poetarum et Historicorum omnium primi*, *de Bello Trojano libri sex*, *Latino carmine à Cornelio Nepote eleganter redditi.* Quod carmen postea *Josepho Iscano*, Exonienfi Anglo, aequali temporum Regis Henrici II, faeculi duodecimi, vindicatum, et fub ejus nomine, doctis cum animadverfionibus Samuelis Drefemii editum, et in Amftelodamenfi editione anni MDCCII, 4, Dictyis ac Daretis Hiftoriis adjectum est. Illud, falfo Pindari nomine infignitum, carmen defiderabat adhuc novam interpretis et editoris curam, fubinde poeticae laudis, et quorumdam melioris aevi indiciorum, causfa commendatum à viris doctis, et tractatum, veluti Barthio, in Adverfariis, et nuper à Bondamo nostro, Var. Lect. II, 4. Itaque mox advertit cogitationem Jani Schraderi, primarii in Latinis Poetis Critici, qui edendum Kootenio, disciplinae fuae alumno, fuaderet. Erat hoc amplum argumentum juveni ingeniofo ad criticam exercendam, carmine et emendando et cum aliis carminibus comparando. Auctor enim ejus fic egit, ut non nifi res gestas brevi narratione ex Iliade referret, exiguo numero mille feptuaginta quinque verfuum includeret, quorum plerosque è Virgilio et Ovidio fumeret. Sed Kootenium, dum hujus carminis editionem parat, antevertit Jo. Christianus Werns-

Wernsdorfius, eumdem librum edens in Poëtis Latinis Minoribus T. IV, anno MDCCLXXXV; luculenter sane, cum constituenda saniore scriptura ex veteribus libris, praesertim quatuor scriptis, tum comparatione Homeri, Virgilii, Ovidii: tum vero addendis quibusdam disputationibus perquam doctis et utilibus, de *auctore carminis*, cui quum nomen *Pindari* ex vero nomine *Pentadii* venisse pronunciasset T. III, p. 260, nunc hoc T. IV. inscribit ac tuetur nomen *Incerti Auctoris*, *fortasse Rufi Festi Avieni*, *Epitome Iliados Homeri*: altera est disputatio *de Homeri libris vetere et medio aevo Latine versis*, *et de Homeristis Latinis* p. 568 — 597: tertia, de subsidiis editionis suae, de proposito Kootenii, et opera aliorum illius aetatis Batavorum literatorum in hoc carmen collata. Mox Kootenius tumultui civili complicitus, relicta patria, ab a. MDCCLXXXVII in Gallia fuit ad MDCCXCV; redux rem publicam tractare coepit; bibliopola frustra eum ad absolvendam editionem revocare, et longam pertaesus moram, excusas plagulas omnes conscindere et abolere, excepto uno exemplari, quod in Kootenii manibus erat: qui tunc et ipse totum editionis consilium abiecit Illud exemplar, cum reliquis illius schedis, ab ipso accepit Weytinghius, atque editione absolvenda, haud minus

nus atque ille instituendâ, gratum fecit eruditis hominibus, et elegantis doctrinae laudem tulit. Sed Kootenium quidem abhinc annos tres nobis morte ereptum dolemus, Weytinghium superesse gaudemus.

X I I.

Selecta è scholis LVD. CASP. VALCKENARII *in libros quosdam Novi Testamenti, editore discipulo* EV. WASSENBERGH, *qui dissertationem praemisit de Glossis Novi Testamenti. Tomus* I. *in quo scholae in Lucae Evangelium et Actus Apostolorum, cum brevi Editoris annotatione. Amstelodami, sumtibus Petri den Hengst et Filii*, MDCCCXV. 8, *pagg.* 606.

Quum oratio Novi Testamenti duabus constet partibus, Graeca et Hebraica, illâ posita in ipsis verbis et linguae quasi materiâ, hac in constructione et formâ, Valckenarius certe utriusque partis cognitione valuit. Et de Graeca quidem dicere non attinet, quam constat ei totam ita perspectam pertractatamque fuisse, ut nemi-

mini uni magis: Hebraicam aurem linguam adolescens didicerat, tum legendo Vetere Testamento tam Hebraico quam Graeco, et invicem comparando, eum ufum collegerat in orationis diverfitate notanda, ut facile ubique animadverteret, quid ex purae dictionis fonte, quid ex Judaica confuetudine, fluxisfet. Huc quum omnis Hiftoriae et Antiquitatis fcientia accederet, factum est, ut ad fcholas in N. T. habendas tantam copiam adferret, quae nullum doctrinae genus defiderari fineret: has autem fcholas habere erat more majorum pars officii Profesforis Linguae Graecae. Atque in his aliter verfabatur, quam in illis, quibus interpretatio Auctorum clasficorum propofita erat. In illis enim fe magis ad locum quemque Auctoris applicabat, ejusque fenfu patefacto et Latine reddito, acquiescebat et progrediebatur. In his vero Graecas divitias quafi effundebat. Ad fententias Novi Testamenti fimiles veterum Auctorum adhibebat: verbum quodque pure Graecum an fecus esfet docebat, ejus fignificationes explicabat, cum ex ufu et exemplis Scriptorum, tum analogia, id est originum ratione. Hae igitur fuerunt fcholae, in quibus Valckenarius illud hereditarium Hemfterhufianae disciplinae et peculiare Batavorum bonum, analogiae fcientiam, propagavit: quam nuper aliquis

quis penitus ignorans ſtipes, idemque clamoſus ſycophanta, allatrare auſus est. Legat hunc librum, videbit non meros ſonos inculcari, ſed ſimplices, primitivas et in ipſa natura poſitas, formas, tum ex his ortas voces et productas, partim adhuc ſervatas, partim ex aliarum veſtigiis cognitas, a Valckenario caeteris animadverſionibus cum judicio ac delectu adſpergi, ut earum lectione nil ad ſuavitatem jucundius, nil ad fidem faciendam luculentius ſit. Sed Valckenarius, quum ipſe edidisſet *Schediasma, ſpecimen exhibens Adnotationum Criticarum in loca quaedam Librorum Sacrorum Novi Foederis*, ad calcem ſuárum et T. Hemſterhuſii Orationum, Lugd. Batav. MDCCLXXXIV: cujus libri cenſuram prodidimus in Bibliothecae Criticae Parte IX; plurimas alias reliquerat in Dictatis ſuis, easque publica luce dignisſimas; quam iis impertitam esſe à Wasſenberghio, V. Cl., factamque ei edendi copiam à Jano Valckenario Jcto, L. C. V. filio, omnes gaudent, et beneficium grati accipiunt harum literarum ſtudioſi: editori ut vita et vires ſuppeditent ad editionem abſolvendam optant: ejusque in Disſertatione acumen et eruditionem, et in ſcholarum delectu judicium, agnoſcunt.

XIII.

XIII.

THÉAGÈNE, *Par Mlle G...... Paris, à la Librairie Grecque-Latine-Allemande, rue des Fossés-Montmartre, n.* 14. 1815. *pagg.* 93. 8.

Opusculum est Cleobulinae nostrae, nuper à Creuzero nostro inſigniter laudatae, in praefatione Plotiniana: indeque humaniſſime celebratae ab eruditisſimo Millin, in Horreo Encyclopaedeutico: et à nobis ſupra p. 230 memoratae. Hujus in legendo ſcribendoque ſtudium diu ad ſolam ipſius oblectationem ſpectabat, nec publicae notitiae deſtinabatur; dum interea nos aliique amici judicaremus, digna esſe haec ſcripta quae ederentur, et edita fructuoſa fore ad communem cognitionem. Quibus admonitionibus tandem ipſa ſic concesſit, ut nobis promitteret, ſe emisſo primum hoc breviore libello, alios uberiores alio tempore ſubmisſuram esſe. Hunc autem malumus ipſius lectione, quam nostra narratione, cognosci. Lectores quidem docti et elegantes quin eum probaturi ſint non dubitamus: agnoscent genus ſcribendi plàne Socraticum, et ad Atticam ſuavi-

vitatem sanitatemque conformatum: cujus effigiem novitiis operibus subinde ostendi et frequentari, multum conducit eloquentiae ab invalescentibus continuo saeculi sordibus purgandae, hominumque ingeniis ad antiquorum exemplorum studia revocandis.

X I V.

Dissertatio Theologica Inauguralis, de variis lectionibus Holmesianis locorum quorumdam Pentateuchi Mosaici, quam — pro gradu Doctoratus, summisque in Theologia honoribus et privilegiis, in Academia Lugduno-Batava, publico et solemni examini submittit IACOBVS AMERSFOORDT, *Amstelodamensis, die* VIII. *Aprilis* MDCCCXV. *Apud S. et J. Luchtmans, Acad. Typographos.* 4 *pag.* 241.

Hujus dissertationis, nisi argumentum, certe praefatio et ratio, intra fines nostrae Philomathiae jacet, quippe latinitate et oratione sane quam elegans. Scriptor à Latinis Graecisque Literis ad Orientales ac Theologicas profectus, eas

tas Amstelodami inchoavit, Leidae excoluit; suisque utrobique doctoribus, tum fautoribus de se bene meritis, sincere amanterque in praefatione gratum benificiorumque memorem animum testatur. In quibus quum et nos eximia laude cumulemur, age hunc locum apponamus, et quod antea numquam fecissemus, nunc posteaquam in nos exorti sunt sycophantae, his scilicet gratum faciamus, et errore eos purgemus. Sic igitur scriptor: — „ Leidam recens advena continuo me contuli in disciplinam Wyttenbachii Viri Cl.; quippe cujus libris legendis, in primis Ruhnkenii Vita quotidie terendâ, puer ego primum, cum melioris Latinitatis et universae Antiquitatis, tum vero obtinendae in literarum studio animi constantiae, amorem admirationemque unice imbibissem. Omnino per tres quatuorve annos diem fere nullum praetermiseram, quin aliquam partem Vitae Ruhnkenianae legerem: numquam a lectione discesseram, nisi et doctior et melior Itaque viri illius, quem absens tantopere admirari coeperam, Leidae continuo praesens institutionem commendationemque consectatus sum. Et vero statim singulari me excepit V. Cl. humanitate; perpetuo me docuit, monuit; omnino adolescentiae meae favit. Sunt alii multi discipuli, qui justa orationis facultate Wyttenbachianae

disciplinae virtutem et efficaciam praedicare posfint: illud vero longe fupra vires pofitum est meas, mihique tantummodo hoc profiteri licet, quum Wyttenbachii praeceptis, et abfens legendis, et praefens audiendis, literarum amorem et fufceperim, et aluerim, me hujus disciplinae memoriam perpetua grati animi reverentia profecuturum." Haec fcriptor: qui quatuor deinceps annos nostris et fcholis et fermonibus ftuduit: cujus hunc locum, et grati erga nos animi, et facultatis Latine fcribendi, infigne fpecimen praebentem, filentio premere ingratum videbatur. Disfertationis argumentum ex titulo fatis intelligitur. Et ne quis forte ignoret, quae fint *Variae Lectiones Holmefianae*, funt hae in opere formae maximae, cui titulus est *Vetus Testamentum Graecum. Cum variis lectionibus edidit Robertus Holmes, S. T. P. R. S. S. Aedis Christi Canonicus, Tomus Primus. Oxonii è Typographeo Clarendoniano* 1798, neque hoc reticendum de fcriptore hujus Disfertationis, eum, praeter judicium variarum lectionum in titulo propofitum, huic praemififse Hiftoriam criticam Veteris Testamenti Graeci, et fubmififse Thefes, ut asfolet, ad disputandum; quarum in his acumen et disferendi fubtilitas, in illa narrationis brevitas et perfpicuitas, cernatur: ipfique nuper delatam esfe

ca-

cathedram professoriam Literarum Orientalium in Athenaeo Harderoviceno.

X V.

CASPARI JACOBI CHRISTIANI REUVENS *Collectanea Literaria, sive Conjecturae in Attium, Diomedem, Lucilium, Lydum, Nonium, Ovidium, Plautum, Schol. Aristoph. Varronem, et alios, passim MStorum librorum ope factae, et maximam partem ad Romanorum rem scenicam pertinentes. Quibus accedit Disputatio de Linguae Graecae pronunciatione. Lugduni Batavorum, apud H. W. Hazenberg juniorem,* MDCCCXV. 8. *pagg.* 197.

Hunc librum paucis memorare, quam silentio praeterire, malumus; siquidem et dignus est mentione, et multa de eo dicere spatii temporisque angustiis prohibemur. Scriptor, juvenis eruditus, usus scholis Lennepii, nostris, Boissonadii, ad nos rediit capto consilio colligendi fragmenta Comicorum, eaque editione

frequentandi. Qui sane locus vacat in Literis Latinis; quod post P. Scriverium et G. J. Vossium, quorum editio Tragicorum a. 1620 (perperam in Fabricii B. L. Ed. Ern. T. III, p. 234; exstat 1720.) Leidae prodiit, nemo quod sciam similem colligendi operam Comicis Latinis praestitit: igitur hic locus, quamvis vacans, tamen ejusmodi est, ut facultatem veterani ejusdemque principis desideret. Interea tamen scriptor utilem operam navavit doctrina, industria, conjectandi solertia, quam lectores lectione ipsius opusculi cognoscent. Neque hoc ignorari volumus, et ipsum nobis aliisque suis magistris in praefatione humanissime amorem gratiasque testificari: et libri à se scripti commendatione cathedram professoriam Humaniorum Literarum in Athenaeo Harderovniceno nuper adeptum esse.

XVI. In recensendo proventu Batavo veterum literarum non praetereunda est scheda Latina quatuor paginarum formae quartae: qua in scheda Peerlkampius, vir doctissimus, Rector Scholae Doccumensis in Frisia, profitetur, se novam editionem Xenophontis Ephesii, è bibliopolio Harlemensi Adriani Loosjes emissurum, ea conditione ut emtores huic ad librum emendum, pretio quindecim florenorum in singula exemplaria, fidem suam nominaque dent,

quo

quo magis ex nominum numero intelligat, an opus propositum sine suo damno suscipere possit. Nos nostram sententiam de scriptoribus historiae amatoriae Graecis prodidimus Bibliothecae Criticae P. II, et IV; in censuris Achillis Tatii et Longi: Xenophontis Ephesii editione contenti fuimus antea, illâ ab Antonio Cocchio edita Londini a. 1726, 8: deinde nova Baronis Locellae factâ Vindobonae 1796, 4: Peerlkampii facultatem laudavimus Bibliothecae Crit. P. XII, p. 128; igitur optamus, ut et libro emtores obtingant, et ipse editor scholae alicui celebrioris civitatis praeficiatur.

XVII.

PLOTINI *Liber de Pulcritudine; Ad codicum fidem emendavit, annotationem perpetuam, interjectis Danielis Wyttenbachii notis, Epistolamque ad eundem, et Praeparationem, cum ad hunc librum, tum ad reliquos, cet. adjecit* FRIDERICVS CREVZER, *Literarum Graecc. et Latt. in Academia Heidelbergensi Prof. — Accedunt Anecdota Graeca:* PROCLI *Disputatio de Vnitate et Pulcritudine:* NICEPHORI NATHANAELIS *Antitheticus adversus Plotinum de Anima: Itemque Lectiones Platonicae, maximam partem ex Codd. MSS. enotatae. Heidelbergae* MDCCCXIV. *In officina Mohrii et Zimmerii Academica* (8. *max. pagg.* 547. *Epistola et Praeparatio* CXLII).

Plotinus quum è Platonicis Graecis, qui ad nostra tempora servati sunt, aetate, auctoritate, librorum scriptorum numero, Platoni, quam-

quamvis longo intervallo, proximus ſit; ſane mirari quem ſubeat, non niſi duas ejus exſtare editiones, easque è Seculo XVI, alteram Latinam Ficini, alteram, eamdem repetitam addito Graeco exemplo: hasque ipſas ſatis ſuperque eſſe pro paucitate legentium; quippe qui ab hodiernis hominibus rariſſime citetur, nec niſi in argumento philoſopho; numquam in grammatico, ubi de verbi aut dictionis uſu probando agitur, quo in judicio is nullam omnino teſtimonii dictionem habere exiſtimatur. Cauſſa neglectionis poſita eſt in obſcuritate orationis: haec partim in ſcriptore, partim in lectoribus. In his, quod Thucydideum illud valet, ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται· laborem debitum inveſtigationi veritatis impendere non audent. In Scriptore, qui ad demonſtrandum argumentum orationis genus adfert ſimillimum Eſoterico illi Ariſtotelis, quod, ut ait Themiſtius, cognitionem magis habet abditam et obſeptam, quam regia, quae eſt Ecbatanis. (Vid. Logica noſtra III, 1, 9): eam tamen, quae ſaepius relegendo et uſu ſcientiaque Organi Ariſtotelici recludi poſſit, uberrimosque intelligentiae fructus ferat. Nos quidem, noſtra aetate, quod ſciamus, ſoli, Plotinum, cum ad rerum, tum ad verborum et oratio-

tionis explicationem, adbibuimus: nostramque rationem secutus Creuzerus novam scriptori editionem instituit, cujus hunc librum speci men esse vult, qua huic Scriptori illam du- dum desideratam intelligentiae lucem accensu rum confidimus; si quidem jam nunc apparet eum in toto Platonico et Plotiniano argumenti sic habitare, ut in rebus et verbis omnem hu jus fontis amplitudinem, omnemque rivulorun varietatem, teneat. Itaque harum tantarum hu jus libri copiarum indicia promere quum infi nitum sit, relinquimus eas in conjectura le ctorum, quam ducant cum e titulo libri; tur e numero paginarum, tum cognita Creuzer doctrinâ. De quibusdam tamen locis dicen dum est. — *Nicephorus Nathanael* est ille an tea *Nicephorus Chummus*, deinde, monachu factus, *Nathanael* cognominatus, tempore An dronici Palaeologi I, qui regnavit ab ann 1282 ad 1332, libris scriptis et aulico muner cognitus; ut Creuzerus e Villoisono Anecdo Gr. p. 72, et ex aliis colligit. Disputatio pa ginis constat quinquaginta, nec elegantia et per spicuitate caret: rebus ipsis magis monach quam philosophi. — Epistola ad nos script plena est benivolentiae, humanitatis, officii propositam habet confutationem sycophantarun nostrorum, cum popularium, tum peregrir

uniu

unius Tittmanni nominatim. Sed popularium nomina non posuit, utpote nostra et nostrorum Sodalium oratione infra omnes mortuos amandatorum: convicia saltem ab illis in nos conjecta paucis verbis memoravit. Tittmanni autem vanitatem, puerilem gloriolam, ignorantiam, stuporem, non Wyttenbachio soli sed omnibus Batavis literatoribus conviciati, ut retuderit, non est opus referre, post illam à Sodalibus Philomathiae in hoc libro proditam censuram. Illud unum, sed ipsius Creuzeri verbis, referamus, quae eum causa impulerit, ut adversus istos sycophantas nostrum patrocinium susciperet: „ *Scio equidem* " inquit, *indignabundos et ista Tittmanni convicia et alia gemina audiisse plerosque nostratium, et optimos quosque, sed silentio excepisse, utpote qui probe tenerent, viris gravibus et benè meritis nec patrono nec laudatore opus esse. Neque vero ipse non tacuissem in Tuâ caussâ, Wyttenbachi, ni pietas prohiberet, qua una in rebus divinis atque humanis nil esse homini sanctius debet. Quocirca nunc equidem non quaeram, an Tu patrono egeas: neque magis quaeram illud, num quid ego, qui vixdum bene velitis functus sum officio, veterani militis propugnator possim existere. Illud quaeram unice, quid veritati, quid honestati, quid partis*

 vir-

virtute egregia meritis, debeatur. Et Bangius mihi verſatur ante oculos, qui me, ex ſorore nepotem, neminem quemquam magis in Literis ſuſpicere jusſit, nullius magis vestigia premere, quam Tua. Cujus ego viri memoriam niſi eâdem, quam ipſius mei germani parentis, caritate proſequar, omnium mortalium ingratisſimus fuerim. Neque ego ullus dubito, hominem naturâ lenisſimum (nosti enim potuisſe fieri nihil illo mitius) et ipſum ſtomachaturum esſe, ſi videre posſit, quam in partem honestisſima Tua conſilia à lividis rapiantur." Aurei profecto generis anima! *νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον*. Nunc à ſycophantis lacesſiti, ex iis qui ſe ferunt amicos adeo audimus, quid hoc ad me? me non petunt ſycophantae: ego pacem cum iis colo: tu fac item. Haec est manifesta civitatum labes, et item eruditae civitatis, in qua ex vetere ochlocratiâ frequens ſycophantia fervet. Cui unice Solonis remedium adhibendum est: qui interrogatus, *quae civitas optime valeat?* reſpondit, *ea, in qua laedentem illaeſi pariter ac laeſi perſequuntur:* eamque rationem in legum ſuarum latione ſecutus est. De quo qui plura cognoſcere cupit, videat nostram animadverſionem ad Plutarchi Convivium Sapientum p. 154, D. Nos vero haec reputantes eo magis dolemus,

mus, tali et Academiam nostram doctore, et nos collega, carere.

X V I I I.

EPHORI CVMAEI *Fragmenta. Collegit atque illustravit* MEIER MARX, *Literarum in Academia Heidelbergensi Magister. Praefatus est* FRID. CREVZER. Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν. PAVLVS APOSTOLVS. *Caroliruhae, apud David. Raphael. Marx.* MDCCCXV. 8. *pagg.* 290; *et* XXXII. *Praefat.*

Rem ſane ad ſtudiorum incrementa utilisſimam agunt, qui reliquias amisſorum Scriptorum colligunt, illuſtrant, et edendo frequentant; niſi enim et harum, item ut ſuperſtitum integrorum operum, peculiares editiones exſtent, ſed in illorum quaſi corporibus incluſae commixtaeque circumferantur, veteris literaturae materiam, ſuis nec finibus circumſcriptam, nec partibus deſcriptam, tenebimus, nec ejus quaſi fundum cenſere poterimus, ut ſciamus quousque pateat, quid ejus cultum, quid incul-

cultum, quid cujusque domini sit. Et est ejusmodi reliquiarum collectio in primis apta argumento, in quo doctus et industrius adolescens progressuum suorum specimen prodat; ut et alibi ostendimus, et Bibliothecae Criticae P. XI, p. 47, in Mahnii nostri *Diatribe de Aristoxeno* recensenda: nec dissentientem a nobis experti sumus quemquam, nisi sycophantam, eumdemque idiotam, in libello volatico in nos involare solitum. Legat iste prudentem Creuzeri admonitionem in Praefatione p. V: „ *Illud*, inquit, *neminem quaesiturum à nobis arbitror, cur Scriptorum maxime fragmentis juvenum eruditorum studia contineri velimus. Est enim longum explicare minus doctis: doctioribus non est necesse. Illis tamen nunc quidem credo haec oratio satisfaciet: nolle nos calidius quidquam fieri à commilitonibus nostris; velut cum adolescentuli in primarios Scriptores involant, ac sicubi aliquid conjecturarum cuderint, illud continuo effundunt, integrosque textus, indotatos aliunde nudosque, foras projiciunt. Quorum editorum studia si ab ea temeritate avocarentur, adstringerenturque certis consiliis, et hoc ipso maxime, quod ad historiarum aliasque reliquias pertinet, noli dubitare, quin multo melius consultum fuerit, ut antiquitatis studio, ita reliquarum litera-*

rarum omnium. Et Creuzerus ipſe hoc egerat in tribus antiquisſimorum Hiſtoricorum, Hecataeo Mileſio, Xantho Lydio, Charone Lampſaceno, quorum fragmenta annos abhinc circiter decem edidit. Tribus deinceps illis principibus, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, integris ſervatis, proximi erant, quibus haec opera navaretur, duo clarisſimi ſcriptores, Ephorus et Theopompus: quorum fuerunt luculentisſima de rebus rebus et factis Graecorum ſcripta, unde posteri, qui ſuperſunt, maximam ſuarum copiarum partem transſcripſerunt. Horum Ephorum discipulo ſuo Marxio ornandum tradidit: Theopompus ut in eadem ſchola editorem reperiat, à quo magistri ductu et auctoritate item ornetur, ſperamus. Hujus etiam quasdam res Creuzerus in Praefatione attingit, quas referre utile ſit. Veluti quod eum liberat à crimine mentiendi, cujus facultatem et ſtudium ipſum profesſum esſe perhibuerat Caſaubonus, ex perperam intellectis ipſius verbis apud Strabonem I, p. 74, A: *Θεόπομπος δὲ ἐξομολογεῖται — ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ κρεῖττον ἢ ὡς Ἡρόδοτος καὶ Κτησίας καὶ Ἑλλάνικος* —. Creuzerus opportune monet, esſe hoc idem atque id quod Plutarchus dicat *τὸν μῦθον ἀνασώζειν πρὸς τὴν ἀλήθειαν·* i. e. *rem fando traditam veriſimiliter explicare*, in

Vi-

Vita Alexandri p. 686; B. Dicam, quae mihi ratio in mentem venerit, in schola paucis abhinc mensibus interpretanti Ciceronem De Legibus I, 1: *et apud Herodotum patrem historiae, et apud Theopompum, sunt innumerabiles fabulae.* Attendendum et ad significationem nominis *fabulae*, quod et origine et usu valet de narrationibus *fando* traditis, sive veris sive fictis, à verbo *fari*, unde et *fama*, *fatum*, i. e. dictum, oraculum. Vera res est apud Ovidium Met. IV, 189, quam Dii ipsi viderant, *Haec fuit in toto notissima fabula coelo.* Similiter Trist. IV. 10, 68: *Nomine sub nostro fabula nulla fuit.* Q. Cicero De Petit. Conf. 14, *vitare fabulam.* Sed ab iis fabulis, quae dudum incerto auctore antiquitus traditae ferebantur, quasque susceperunt historici, v. c. Herodotus et Theopompus, atque ut tales fabulas prodiderunt, diserte distinguuntur illae, quas ipse quis, vel poeta vel alius, finxit, addito *fictae*, aut alio adjectivo: v. c. Fin. V, 19, *fictae fabulae* opponuntur *historiae*, et proinde fabulis historicis. Offic. III, 9: *fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt à Platone.* Miloniana 3: *non sine caussa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriae prodiderunt* — scilicet poetae in tragoediis de Oreste: sic Amicit. 7. de eodem *fabula* Pacuvii

rem fictam perhibebat: item Fin. V, 22: *talibus exemplis non fictae solum fabulae, verum etiam historiae, refertae sunt.* Haec ad usum Latinitatis. In Graecis eamdem esse vim vocis *μῦθος* nemo nescit, certe summus vir Is. Casaubonus non ignorabat, sed tunc illa scribens non cogitabat. Si *fabula ficta* significatur, dicitur μῦθος καὶ πλάσμα, per figuram ἓν διὰ δυοῖν, cujus formae exempla apposuimus Bibliothecae Crit. P. X, p. 5: vel μῦθος πεπλασμένος, ut Plutarcho Sympofiac. VI, 10, p. 685, E. Jam Theopompus non dixit, ὅτι πλάσει μύθους, *se fingere posse fabulas*, sed ὅτι ἐρεῖ μύθους, *se narraturum esse fabulas:* quod sane ut exercitatus scholis rhetoricis profiteri poterat se melius facturum, quam illos minus hac in arte exercitatos historicos. Est autem *fabulae narratio* unum ex argumentis Progymnasmatum rhetoricorum. Hujusmodi est fabula Theopompi de Sileno in Aeliani Var. Hist. III, 18, quam et nos attigimus ad Plutarchi Consolationem ad Apollon. p. 115. B. Est et *Ecphrasis* rhetoricum progymnasma, quo Tempe Thessalica descripsit, quae exstat in eodem Aeliano Var. Hist. III, 1: Theone Sophista Progymn. II, p. 19. „ Haec nos. Alia habet opportune animadversa Creuzerus; v. c. de fabulis apud Justinum ex Theopompo ductis:

ctis: de ſtilo oratorio apud eumdem ac Diodorum Siculum ex ejusdem Theopompi ſcriptis expreſſo: de forma dictionis Iſocrateae, ejusque per imitationem degenerante ſtilo hiſtorico Ephori et Theopompi a ſimplicitate veterum, Herodoti, Thucydidis, Xenophontis. Quod autem Ephorus in excerpto Cosmae, quod est Topographiae Chriſtianae p. 148, ſic laudatur, *οὗτος ὁ Ἔφορος παλαιὸς ἐστι συγγραφεύς, φιλόσοφος, καὶ ἱστοριόγραφος*: quod igitur *philoſophus* appellatus, fortasſe ipſe ſuum hiſtoriae ſtudium *philoſophiam* et *philoſophari* vocaverit, quod item nomen et verbum ejus magister Iſocrates de ſua oratoria uſurpare ſolebat. Et Ariſtides Or. Aegypt. T. II, p. 348, citatus ſcriptori hujus disſertationis p. 214: *Ἐφόρου τοῦ φιλοσόφου καὶ σοφιστοῦ* —. Hactenus de Praefatione. Sequitur ipſe liber, ſupra noſtram exſpectationem ille doctrinae copia refertus, ut ſatis habere debeamus ejus fines capitumque titulos ſignificasſe. Pars prima est, *Commentatio de Ephori Vita, Scriptis, Dicendi genere, Auctoritate.* — Caput. I: *de Ephori Nomine, Patria, Rebus:* quo in argumento locus Plutarchi qui dicitur de X Oratoribus apponitur: *τοῦ δὲ Κυμαίου Ἐφόρου ἀπράκτου τῆς σχολῆς ἀπελθόντος, καὶ πάλιν ὑπὸ τοῦ πατρὸς Δημοφίλου πεμφθέντος ἐπὶ δευτέρῳ μισθῷ*

παί-

παίζων Δίφρον αὐτὸν ἐκάλει. Scriptor hujus disputationis edidit *Δίφορον*, et in parentheſi appoſuit haec *Var. Lect. Δίφρον, Διάφορον, illud recepisſe Wytt. miror.* Atqui non recepi, ſed reliqui: erat vetus lectio in omnibus ſcriptis codicibus prodita: et habebat quo ſe tueretur ut paronomaſia nominis *δίφορος*; et ab hoc ortum, vid. Etymol. M. in Voce, et Euſtath. Iliad. *β.* 412 fin, et pronunciando ad hoc ipſum accedens et hoc ipſum ſignificans: et habens adjunctam notionem ridiculam huic rei convenientem quaſi ſellae ſeu ſcamni, cui in ſchola inſidetur: itaque pro mea religione, *δίφορον* ſub textu poſui, *δίφρον* in textu reliqui. — Caput. II. *de Ephori ſcriptis.* §. 1: *Libri Hiſtoriarum.* Hi fuerunt numero triginta, de rebus Graecorum quidem maxime, ſed et barbarorum cum his conjunctis, tempus complexi à reditu Heraclidarum ad Perinthum urbem à Philippo Macedone expugnatam: i. e. ante noſtram aeram ab anno 1103 ad 341. §. 2: *Libri Inventorum, περὶ εὑρεμάτων.* §. 3: *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν*: incertae auctoritatis nec niſi apud Suidam produntur. § 4: *παραδόξων τῶν ἑκασταχοῦ βίβλια ιέ·* i. e. *rerum in quavis regione mirabilium libri quindecim:* item incertae auctoritatis, nec niſi a Suida memorati. §. 5. *Ἐπιχώριον*, i. e. *populare*, ſeu de rebus,

 pa-

patriae suae Cymae. — §. 6: περὶ λέξεως· *de dictione* §. 7: *Dubia.* — Caput III: §. 1: *de Ephori scribendi genere, auctoritate, fama;* §. 2: *quomodo in ipsa historia ejusque partibus versatus sit.* §. 3: non se continuit intra spatium temporis quod sibi praescripserat, sed ad antiquiora etiam egressus est; unde in Suida legitur, *eum initium historiae fecisse ab excidio Trojae.* Et reliquam materiam quam in historiae opere condere non posset, in libros *Inventorum*, tamquam in appendicem inclusit. §. 4: *de rerum cognitione et fide Ephori.* Caput IV. *de Ephori Chronologia.* Quum ante institutam eam Opympiadum numerationem quae facta est anno ante nostram aeram 776, Graeci nullam haberent communem temporum notationem, utebantur, generationibus et annis regum, magistratuum, quam materiam scriptores genealogiarum in ordinem redigere studuerunt, in primis Pherecydes Lerius, Hellanicus Lesbius etiam ad Indicem Sacerdotum Templi antiquissimi Junonis Argivae exegisse dicitur; *ad historiae quidem scriptionem notatio Olympiadum a Timaeo primum inducta est.* Hoc editor demonstrare sibi videtur appositis his verbis (*Polybius* XIII, 12). Nos ibi legimus, magnam fuisse Timaei in temporibus notandis diligentiam: comparatione Regum et Ephoro-

rum

rum Spartanorum, Archontum Athenienfium, Argivarum Sacerdotum, et victorum Olympicorum, non item, *hiftoricos ante eum nullam adhibuisfe Olympiacorum annorum commemorationem.* Marshamus quoque in Canone Chronico Sec. XVI, p. 488, eamdem fententiam de Timaeo appofitis Polybii verbis ferens, dicit tamen *videtur*, ut conjecturae affine, caeterum addit non fatis perfpicuum illud, *Quidquid ante aetatem Timaei ad Olympiadem aliquam accommodatur, id quidem κατὰ πρόληψιν collatum videtur.* Quae tria poftrema verba quid fignificent, non capio. Caeterum editoris in hac disputatione conclufionem probamus: *quantum*, inquit, *diferti veterum loci, fine ulla praejudicata fententia perpenfi, verifimilitudinis mihi fuggerunt, in Trojae excidio fuae pofuit numerationis cardinem, unde per distinctos annos, vel etiam generationes, ut apud Strabonem VI, p. 410, X, p. 735 et 711, rerum geftarum tempora deinceps adnotavit.* Hactenus pertinet *Commentatio.* Sequuntur *Fragmenta Ephori*, ex veteribus, qui post eum fuerunt, Scriptoribus collecta; maxime Strabone, apud quem hujus commemoratio et narrationis relatio fere utramque paginam facit: cui proxime accedit Diodorus Siculus: tum Polybius, Dionyfius Halicarnasfen-

fis, Plutarchus, Paufanias, Scymnus Chius: porro è caeteris omnibus Graecis Latinisque omnis generis fcriptis. Haec igitur Fragmenta adeo cumulate collecta, tum diligenter distributa et ad fuum quodque librum relata, tamque erudite illuftrata, lectionem praebent omnibus historiae et Graecarum literarum ftudiofis, et utilisfimam et jucundisfimam, tot feculorum res gestas in reliquiis clarisfimi auctoris recognoscentibus. Et nos quum horum ex numero lectorum fimus, perceptae fuavitatis causfa grati aliquid fymbolae adjicimus, leve illud et quafi guttam in mare Aegaeum; quando fcriptor hujus libri fuis copiis omnem reliquam nostrae fuppellectiilis accesfionem praecepit. Duae autem funt fymbolae. Prima ad Librum III, de deductis in Afiam coloniis Aeolenfium et Jonum. Eo magis dolendum perpauca ex hoc Ephori libro fuperesfe fragmenta, quod hunc locum item tractatum a Trogo Pompejo libro I, ut è Prologo conftat, omifit Juftinus. Altera de Epaminonda, cujus laudes in primis celebravit Ephorus, Diogenis Laërtii II, 54, qui ex Ephori libro XXV refert *in pugna Mantineenfi Epaminondam et Gryllum, Xenophontis filium, obiisfe.* — Nos vero jam finem hujus cenfurae faciamus, ac magistro tam doctum difci-

ſcipulum, diſcipulo tam egregium magiſtrum, gratulemur.

X I X.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΤΟΥ ΧΑΙΡΩΝΕΩΣ ΤΑ ΗΘΙΚΑ. PLUTARCHI CHAERONENSIS MORALIA, *id est Opera, exceptis Vitis, reliqua. Graeca emendavit, Notationem emendationum, et Latinam Xylandri interpretationem castigatam, subjunxit. Animadversiones explicandis rebus et verbis, item Indices copiosos adjecit* DANIEL WYTTENBACH, *Hist. Eloqu. Litt. Gr. et Lat. in Illustri Athen. Amstelod. Professor. Operum Tomus VI, Animadversionum Primus. Oxonii e Typographeo Clarendoniano* MDCCCX. — *Editionis* 4. *Unum Volumen pagg.* 593. *edit.* 8. *Duae Partes.* — 1222.

Tandem ad nos venit hic liber, quum jam quartum annum è typographeo exiiſſet, et continuo tunc in Pariſienſium hominum, Larcheri et aliorum, manibus verſaretur. Nos

autem propter tempora ſuſpicioſa et ſevere interdictum Batavis cum Britannis commeatum, librum arcesſere non auderemus, atque omnino, quod Plutarchum edendum Britannis comiſisſemus, nobis domini noſtri pasſim vitio verterent. Nunc, mutatis rebus, hunc tomum nacti, pauca de eo dicemus, uberiorem deſcriptionem relinquentes idoneis judicibus, et aequis, id est, et noſtrae et omnino humanae conditionis rationem habentibus. Fuit autem noſtrae conditionis haec pars; ut, quod diximus in praefatione, „ opus noſtrum in duas distribueretur partes: quarum prima, libros Plutarcheos, Graece et Latine, emendatos, addita brevi Emendationum annotatione, complecteretur: altera Animadverſiones ad rerum verborumque interpretationem comparatas et Indices contineret; quae partitio eo valebat, ut, ſi fatum non ſineret hujus alterius partis materiam a me aut alio in lucem proferri, opus tamen meliore ſui parte ſalvum esſet, id est, ea quae ad ipſius Auctoris manum et ſcripturam ſanandam et conſtituendam refertur, in qua proprium ac praecipuum editoris munus verſatur, quae vel ipſa per ſe ſola justae inſtar editionis cenſeatur. Qua in re, ut parva magnis conferam, cavi ne idem committerem quod in Polybio commiſisſe Caſaubonum dolemus: qui magni et egre-

egregii commentarii molitione occupatus emendationem Graeci exempli vix attigit, quamvis facile absolvendam, si à commentario eam disjunxisset et anticipasset: nunc utrique simul intentum parti mors, cum reliquae interitu operae conjuncta, occupavit." Accedebat etiam urgens festinandi caussa, imminens anno MDCCXCIV exercitus Francici adventus et metus ne chartarum nostrarum in Britanniam transmissio incideret in tempus interclusi commeatus: igitur complures loci in *Emendationibus* levius attingendi et in *Animadversiones* rejiciendi erant: quod item valet de aliis locis, quorum emendationes postea demum se mihi obtulerunt. Hujus ergo meae conditionis rationem habere debebant, homines docti, *Animadversiones* nostras exspectare, nec ex solis prioribus voluminibus de toto opere judicare. At vero hanc aequitatem eorum non magnopere experti sumus. Ut alios taceam, fuit nuper in Germania magis velocitate, quam judicio et et lectione valens, obiter in Plutarchum nostrum invehens: hic in libro de Solertia Animalium p. 966, A, pro *σὺν μόνον* pronunciabat legendum *σὺν μόνιον*, quasi me ista correctio fugisset: quam ego minime ignoratam dictionem, non pro correctione hujus loci habebam, quippe aliam medicinam postulantis. Hoc vi-

 dis-

disſet ſi meam Animadverſionem exſpectasſet. Illud vero festivum est, quod alio loco, De Superſtitione p. 170, E, pro κάρτα θύοντες, ex codicibus nostris annotaveram κάρα σείοντες. Ad haec quid edicit ὁ νήπιος? ſcilicet *vulgatam ineptisſimam, esſe, veram Plutarchi manum Wyttenbachius exhibiturus fuisſet, ſi datis opibus recte uti voluisſet.* Dictatoria profecto critica! quod ſi criticus hoc volumen Animadverſionum nostrarum de quo nunc dicimus, quodque tunc quum ille hoc ſcribebat, quartum annum emtorum manibus terebatur, inſpexisſet, vidisſet, me de de utraque lectione in utramque partem disputasſe, et cum illo Sophoclis Antig. 290. alia uberiora attulisſe.

X X.

CRITO, *sive Dialogus de Literarum in primis Latinarum studio recte colendo, auctore* GVILIELMO LEONARDO MAHNE, *Gymnasii Zierizeani Rectore. — Zierizeae, apud Abrah. de Vos Jac. Fil. a.* MDCCCXVI. 8. *pagg.* 101. *Praefat. XI. Addend.* 26.

Quum nuper, ſtante dominatione Francica, Gymnaſium Zierizeanum in dioeceſi Academiae Brux-

Bruxellensis esset, hujus Rector, vir nobilissimus idemque eruditissimus, Car. Hulthemius, prudenter fecit, quod civibus suis ad linguae Latinae studium usumque revocandis, iis de optima ratione hujus propositi efficiendi commissionem et certamen scriptionum Latinarum, vel *oratione*, vel *carmine*, vel *dialogo*, scribendarum proposuit. Ibi tum Mahnius ad dialogum scribendum excitatus, eum perscriptum judicibus Bruxellam misit. At bello tunc flagrante, quo mox illa dominatio labefactata est, ignorans quid illi commissioni, suoque dialogo evenisset, eum perire nolens, nunc seorsum ipse edidit: eaque editione optime de Literis meritus est. Habet enim ejus lectio insignem et utilitatem et jucunditatem, cum ab argumenti gravitate ejusque diligenti explicatione, tum a formae orationisque elegantia doctrinaeque varietate: quae ratio prope ad Erasmianam accedit, nimis illam, quamvis hereditarium bonum, à recentioribus Batavis ignoratam. Addenda continent annotationem locorum ex aliis Scriptoribus in hoc libro vel appositorum, vel significatorum: tum vero castigationem complurium errorum et barbarismorum Recensentis Retensentium aliorumque, depromptam illam ex interiori Latinitatis intelligentia, qua Mahnium in primis valere constat. Caeterum, ne isti

 per-

perpetui ſycophantae et ſyllabarum aucupes illud captent, ſciant lectores operarum vitium commisſum esſe in Praefatione p. VIII, ubi legendum, ut Scriptor in ſuo exemplo dederat, *ſi viri harum rerum periti me errantem in viam reducere, et lumen mihi de ſuo lumine accendere velint.*

XXI.

Specimen Literarium Inaugurale, exhibens Miscellanea, Literaria, quae — pro gradu Doctoratus, summisque in Philosophia Theoretica et Literis Humanioribus honoribus et privilegiis, in Academia Lugduno-Batava rite et legitime consequendis, examini submittit LEO ANNAEI F. BVMA, *Woudsenda — Frisius, die IV Junii. — Lugduni-Batavorum* MDCCCXVI. 4. *pagg.* 32.

Ad hujus libelli adſpectum duo nobis in mentem venerunt Homerica: primum, Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι· cui deinde, lecto libello, ſuccesſit alterum hoc, Οὔτις

τοι

τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται ὅσσοι Ἀχαιοί. Triennium est quod ſcriptor in noſtram disciplinam et familiaritatem venit, ſexto decimo aetatis anno Graecarum Latinarumpue Literarum et ſtudio ardens, et intelligentia ſupra vulgarem modum valens, haud obſcure aliquam Valckenariani ingenii ſimilitudinem prodens, ut merito auguraremur fore ut, manente quidem ſtudio vitaque, nobis aliquando tantum virum referret. In illis deinceps Literis nos audivit: Palmium V. Cl. frequens in Orientalibus, quas et Valckenarium attigiſſe noverat. Plurimum autem ſtudium domi tribuerat antiquis cum proſae ſcriptoribus, tum poetis, maxime Tragicis: his adjungebat diligentem cognitionem Grammaticorum Graecorum et notarum in hos aliosque auctores à principibus noſtratibus editarum. Hoc agens et quotidie, naviter progrediens, occupatur noviſſima Academiae ordinatione ejusque lege de capeſſendo Doctoris gradu iis qui aliquando has Literas publice tradituri ſint. Cui ipſe legi quam primum ſatisfacere totoque honoris iſtius adipiscendi negotio breviſſime defungi cupiens; attulit ſpecimen tenuius quidem quam pro aliorum exſpectatione et ipſius copia et facultate; quo referimus primum Homericum verſum; nam poterat *melius:* ſed ſpecimen tamen attulit, unde Graece docti et vere

'A-

'Αχαιοί, librorum praeftantiam non numero paginarum et locorum citatorum multitudine, fed vere et fcienter aeftimantes, ex paucis indiciis doctrinam et acumen fcribentis, quod dicitur ex *ungue Leonem* agnoscent: quo pertinet alter verfus. Argumentum autem libelli est de Sophoclis Electra, quae ita tractatur, ut enarrato per fingulus partes fabulae argumento fubjiciantur cuique parti animadverfiones ad fcripturam vel conftituendam vel explicandam. Accedunt tres paginae Miscellaneorum, in Theocritum et Ciceronem.

X X I I.

Specimen Literarium inaugurale, exhibens Observationes in Xenophontis Symposium et Cyropaediam, quas — pro gradu Doctoratus Summisque in Philosophia theoretica et Literis humanioribus honoribus ac privilegiis in Academia Lugduno-Batava, rite et legitime consequendis defendit JOANES BROWN, *Arnhemia Geldrus, die XII Septembris* c. MDCCCXVI. *Lugduni-Batavorum* MDCCCXVI. *p.* 80. 8.

Hujus et fcripti caufsa fuit quae fuperioris, et fcriptoris eadem nostra cum disciplina neces-

cessitudo: qui ex institutione eruditissimi Zillesenii in nostras scholas venit, iisque quadriennium ita usus est, earum ut repetitioni domesticae adjungeret aliud insuper pensum Graecum, quo Scriptores, quorum adhuc non nisi partes cognovisset, totos legeret: hi erant Historici, Herodotus Thucydides, Xenophon, Tragici, Aristophanes, Lucianus. Hinc natum est hoc specimen quod proprie ad Xenophontem, et hujus maxime duo scripta pertinet, Symposium et Cyropaediam, et utrique ex diligenti ratione grammatica accurataque linguae cognitione, interpretando emendandoque, haud parum lucis attulit. In Cyropaedia quoque usus est codice membranaceo Leidensi quem et nos adhibueramus in Selectis Historicorum Graecorum. Neque etiam illud reticendum est, Latinae orationis bonitatem apparere cum in reliquo libello, tum in praefatione erga nos amanter scripta.

XXIII.

Quaestionem positam in exitu superioris libri, de Commentario scriptoris non nominati in Aristotelis Categorias, egregie nobis expedivit vir eruditissimus, saepe nobis laudatus nec umquam satis laudandus, Jacobus Morellius, Bibliothecae Venetae S. Marci Praefectus, in Epistola ad me

me data d. VI Jun. MDCCCXII. Sic igitur ille de hoc quidem argumento. „ Opus ineditum exstat in codicibus duobus Bibliothecae Venetae Saec. XV, numeris CCXXXV. et DXCIX. notatis, et in aliis quoque aliarum, Parisiensis nimirum, Matritensis, Oxoniensis, Augustanae, Monachiensis, Florentinae Laurentianae, Taurinensis, Indicibus impressis, relatum, et *Davidi* θεοφιλεστάτῳ, corrupta voce *Thessalonicensi* à nonnullis dicto, una cum ejusdem Commentario in Isagogen Porphyrii, qui in codice Bibliothecae Lugduno-Batavae (Catalog. p. 392.) ex fide codicum ipsorum tributum. De codice Veneto priore cum pauca scriberem in tomo primo Bibliothecae MS, multa de *Davide* ejusque Commentariis me allaturum esse recepi, ubi de posteriore qui etiam Prolegomena Philosophiae et Commentarium *Davidis* in Porphyrium continet, esset mihi dicendum: neque enim pauca equidem collegi, quae cum aliis bene multis pro tomo secundo comparatis, utinam recensere ac typis edere possem. Jam cum *Davidem philosophum non ignorabilem* à Scipione Carteromacho in Oratione de laudibus Literarum Graecarum dictum esse, ejusque scripta Gesnero, Fabricio, Harlesio, Buhlio, aliisque innotuisse animadvertebam; licet cujas idem exstiterit, à nemine eorum

eorum umquam didicisſem. At vero Armenium fuisſe, eundemque unum habendum esſe ex iis qui medio circiter ſaeculo quinto, Conſtantinopolin, Alexandriam et Athenas ad Literas addiscendas misſi, Biblia Sacra et Scriptorum quorumdam Graecorum libros in linguam ſuam transtulerunt, postea cognovi et allatis à Moſe Chorenenſi Histor. Armen. Lib. III. Cap. 60. 61. 64, Clemente Galano Hist. Conciliationis Eccleſiae Armenae cum Romana P. I, Cap. VII, n. 14: et Guillielmo de Villeroy in Disſertatione inedita *de Armeniorum Literatura*, cujus excerpta prodiere in *Compendio historico Rerum Armeniacarum* Italice ſcripto Venetiis a. 1786 impreſso, ſub falſo *Joannis de Serpos* veluti auctoris nomine. Inter Codices Armeniacos Pariſienſes duo ſunt in Indice typis edito numeris CV et CVI notati, qui Porphyrii Iſagogen et Ariſtotelis Categorias, hujusque alia quaedam cum Commentariis *Davidis*, ejusque ſcripta nonnulla philoſophica continent: verum Graecis literis non niſi Prolegomena Philoſophiae et Commentarii in Porphyrium et Ariſtotelem exſtare videntur. Et hos quidem non Armeniace, ſed Graece ſcriptos à *Davide* fuisſe, re expenſà, ſe omnino putare mihi affirmabat *Lucas Engigi*, Monachus Armenius Venetiis olim degens: qui gentis ſuae Literatu-

turam optime callens, ſcribendi rationem et ſyntaxin Graecam, cujus erat ſatis peritus, in textu Armeniaco agnoſcebat: quamquam mihi linguae ignaro peregrinum aliquid in textu Graeco ſe identidem offerre videretur. Neque illud ἀπὸ Φωνῆς, in titulo librorum *Davidis* poſitum, ne eos Graece primum prodiiſſe putemus, facit, quemadmodum Sanctocrucius de ea phraſi disſerens tradidit, Magazin. Encycl. An. III. T. I. p. 203. Caeterum *Davides*, philoſophus eclecticus, eruditionis copia, Scriptorumque Graecorum lectione ſe commendat: horum tamen teſtimonia, operum titulis interdum immutatis affert, ſuppoſititiis etiam libris, narrationibusque incertae fidei adhibitis."

Noster codex Lugduno-Batavus in libris Voſſianis eſt notatus numero 8, p. 391, habet primo *Porphyrii Vitam Plotini:* tum Plotini aliquot diſputationes editas nec omnes: deinceps quaſi Plotiniana continuarentur, ſequitur pars Commentarii in Porphyrium foliis tribus: porro in Categorias foliis 64: denique Mathematica in Catalogo notata.

X X I V.

Nos vero ſcribendi finem facere cogimur, deficiente et facultate et tempore. Itaque aliorum, quos commemorare decreveramus, nomi-

mina librorum ne penitus filentio praetereamus, verbo faltem fignificemus. Sunt autem hi potisfimum:

Strabonis Rerum Geographicarum libri XVII. Graece et Latine, opera et ftudio Thomae Falconer, Oxonii. Tom. I. et II. MDCCCVII. in Folio.

Hephaeftion de Metris, opera Thomae Gaisford. 8. Oxonii MDCCCX.

Poetae Minores Graeci: Praecipua Lectionis Varietate, et Indicibus locupletisfimis, inftruxit Thomas Gaisford. A. M. aedis Christi Alumnus, nec non Graecae linguae Profesfor Regius. Fol. I. et II. Oxonii ex Typogr. Clarend. MDCCCXIV. et MDCCCXVI.

Reliquiae Sacrae: five auctorum fere jam perditorum Secundi Tertiique Saeculi Fragmenta, quae fuperfunt. Accedunt epistolae Synodicae et Canonicae, Nicaeno Concilio antiquiores. Ad Codices manufcriptos recenfuit notisque illuftravit Martinus Jofephus Routh. S. T. P. Collegii S. Magdalenae Praefes. Oxonii Tom. I. II. III. 8. Ao. MDCCCXIV. et MDCCCXV.

Catalogus manufcriptorum Clarkianorum et Dorvillianorum Bibliothecae Bodleianae 4. 2 vol.

Euripidis Alcestis, edit. J. H. Monk. 8. Cantabrigiae MDCCCXVI.

Tracts and Miscellaneous Criticisms of the late

 Ri-

Richard Porson: Collected and arranged by the Rev. Thomas Kidd. London MDCCCXV. 8.

Mélanges de Critique et de Philologie par S. Chardon de la Rochette. Tom. I. II. III. Paris 1812. 8.

Hiſtoire Critique de l'établisſement des Colonies Grecques. Tom. I. II. III. IV. Par Mr. Raoul Rochette. Paris MDCCCXV. 8.

Notice ſur Monſieur Larcher, avec le Catalogue des livres rares et précieux de ſa Bibliothèque. Par Mr. Boisſonade. Paris 1814. 8.

Banquet de Léontis, par Mme Wyttenbach. Paris, à la librairie grecque, latine, allemande. 1817. 8.

Marini Vita Procli, edidit Boisſonade. Lipſiae 1814. 8.

Tiberius Rhetor, altera parte auctior, de Figuris: una cum Rufi arte rhetorica, edidit J. T. R. Boisſonade. Londini 8. in aedibus Valpianis 1815.

Symbolik, von Friederich Creuzer, Profesſor zu Heidelberg. 4 Bände. 8.

Acta Monacenſia, edidit Fredericus Thiersch. Tom. 4. Monachii 1812. 8.

Geſchichte des Römiſchen Rechts im Mittelalter, von Friederich Carl von Savigny. Heidelberg 2 Bände 8. 1815 und 1816.

Meletemata è disciplina antiquitatis, opera Friderici Creuzeri. Lipſiae 1817. 8.

Iſo-

Isocratis Oratio de permutatione, et Isaei Oratio de Meneclis Hereditate. Edidit J. Conr. Orellius. Turici 1814. 8.

Gregorii Corinthii et aliorum Grammaticorum libri, de dialectis linguae Graecae. Recensuit et cum notis G. Kuhnii, Francisci Bastii, Boissonadii, suisque edidit Godofr. Henr. Schaefer. Accedit Bastii commentatio Palaeographica. Cum tabulis aeneis septem. Lipsiae 1811. 8.

Anthologia Graeca, ad fidem codicis olim Palatini nunc Parisini ex apographo Gothano edita. Curavit Fredericus Jacobs. Tom. I. Lipsiae 1813. 8.

Imm. Bekkeri Prof. Berol. Anecdota Graeca. Vol. I. II. 8. Berolini 1814. et 1816.

J. W. Kuithan, Versuch eines Beweises dass wir in Pindar's Siegeshymnen Urcomödien übrig haben. Dortmund und Leipzig 1808. 8.

Memoria Viri Perillustris Chr. Gottl. de Voigt. Scripsit Henr. Carl. Abr. Eichstädt. Jenae 1813. 4.

Thorlacii, Professoris linguae latinae in Universitate Havn.: Prolusiones et Opuscula Academica. Havniae 1806. 8.

Ejusdem Prolusio de Lege Rulli, Tribuni, Plebis Agraria. Ibidem.

Chr. Car. Bunsen, Disquisitio Philologica de Jure hereditario Atheniensium. 4. Gottingae 1813. X 2 Gu-

Gustavi Knös, Disquisitio de fide Herodoti, qua perhibet Phoenices Africam circumvectos. Gött. 1805. 4.

Litterae Criticae in Varronem de lingua latina, ad Vir. Cel. Chr. Gottl. Heyne scriptae a D. G. Köhler. Dusb. ad Rhenum 1790. 8.

J. G. Huschke, Commentatio de Inscriptione Fasculi Locris in Italia reperti. Rostochii 1813. Folio.

J. G. Huschke, Albii Tibulli Elegiae tres. Rostochii 1814. 4.

Caroli Morgenstern, Oratio de literis humanioribus. Lipsiae et Gedani. 1800. 4.

Euripidis Reliquiae. Edidit Aug. Matthiae. 1815. et seq. 8.

M. T. Ciceronis Orationum, pro Scauro, pro Tullio, pro Flacco; partes ineditae. Invenit, recensuit, Angelus Majus, Bibliothecae Ambrosianae a linguis Orientalibus. Ad exemplar Mediolanense. Francofurti ad Moenum 1815. 8.

Frontonis, Epistolae ineditae, Graece, ab eodem.

Themistii Oratio inedita, ab eodem.

Natalis Lasthesii Marosticensis Gratulationes. Patavii 1767. 8.

Josephi Mariani Parthenii, de Vita et Studiis Hieronymi Lagomarsini, Commentarius. Editus a Vincencio Georgio. Venetiis 1801. 8.

Gas-

Casparis Garatonii, in M. Tul. Ciceronis Orationem pro Cn. Plancio, ex optimo Codice Bavarico, Curae Secundae. Bononii 1815. 8.

Elogium Joannis Meermanni, auctore Henrico Conſtantino Cras. Amſt. et Hag. 1817. 8.

Cornelii Annei den Tex, Disputatio inauguralis, de vi Muſices ad excolendum hominem, de ſententia Platonis. Traject. ad Rhen. 1816. 8.

Caspari Bax, Disputatio inauguralis de Naturae ſimplicitate in Euripidis Oreste. Traj. ad Rhen. 1816. 8.

J. van Iddekinge, Diſſertatio Philologico Juridica, de inſigni in Poeta Ovidio Romani Juris peritia. Amſt. 1811. 8.

Joan. Melch. Kemper, Antecesſoris Leidenſis Oratio, de Aetatis nostrae fatis, exemplo gentibus ad praeſertim Belgis numquam negligendo. Lugduni Bat. 1816. 8.

Jo. van Voorst S. Th. P. Oratio, de commodis atque emolumentis, quae e ſingulari Principum Europeorum, in religione Christiana his temporibus profitenda, conſenſu ſperare et augurare liceat 1817. 4.

G. J. Zilleſen, Oratio de Belli Gallici laudibus, ejusque vi et efficacia ad ingruentem barbariem propellendam. Lugd. Bat. 1814.

Gysberti Fenema, Oratio de Veterum Scriptorum praeſertim Graecorum meritis, quam habuit

buit d. VII. Febr. 1816. quum Scholarum Dordracensium Rectoris munus solemniter auspicaretur. Dordr. 1816. 8.

X X V.

Una etiam nunc nobis res superest verbo certe attingenda, Mahnii nostri Oratio, habita his ipsis diebus Gandavi novae Academiae dedicandae, et Literarum cathedrae auspicandae, insigni audientium favore concelebrata. Nos illi Academiae hunc talem doctorem eo magis gratulamur, quo magis nobis persuasum est, viri doctrinam, industriam, facultatem, Literarum studiis fructuosam fore. Atque sic demum

PHILOMATHIAE LIBER TERTIVS
EXPLICIT FELICITER.